


SUPPL. B
60841/B

ARS
PRAESAGIENDI
DE
EXITU AEGROTANTIUM
PRAESERTIM IN ACUTIS

AUCTORE

EVARISTO ALBITES LIMANO

ROMÆ MEDICINÆ PROFESSORE.



ROMÆ MDCCXCV.



Ex Typographia Archangeli Casaletti

Superiorum Permissu.

JOSEPHO MASDEVALL
VIRO CLARISSIMO
CAROLI IV.
HISPANIARUM, ET INDIARUM REGIS
MEDICO CUBICULARI

IN ACADEMIA CERVARENSI DOCTORALI LAUREA INSIGNITO; REGIAE GADITANORUM MEDICAE SOCIETATIS, ET ACADEMIAE MEDICAE PRACTICAE CARTHAGINENSIUM PRAESIDI PERPETUO; IMPERIALIS MEDICORUM, ET CHIRURGORUM CAESARAUGUSTANI COLLEGII, REGIAE HISPALENSIS, PARISIENSISQUE SOCIETATIS, ET ACADEMIAE SCIENTIARUM, ET ARTIUM BARCINONENSIS SOCIO; EPIDEMIIS OBSERVANDIS, PROFLIGANDISQUE DESTINATO; REGII CONSILII; REGIIQUE PALATII, CASTELLAEQUE PROTOMEDICO.

EVARISTUS ALBITES
S. P. D.

Cum virum ego doctrina, medicæque artis scientia insignem votis omnibus optaverim, cujus auspiciis De ægrotantium exitu libellum in publicam lucem ede-

ederem; te unum, Vir præclarissime, aliis anteponendum omnibus censui. Equidem si a te, quod de tua benignitate sperabam, clementer acciperetur, compertum mihi erat, & me amplissimum Mæcenatem nacturum; & libello ipsi, qui nec per sese, nec ab auctore suo habet, & pretium, & auctoritatem accessuram. Nunc vero cum de tua voluntate, patrocinioque certus jam sim, & amplissimas gratias ago, seu potius refero, & libellum ipsum, levidense quidem munus, in mei adversum te grati animi argumentum tibi offero, atque inscribo. Neque mirum tibi videri debet, me quam longissime absentem eam de te opinionem concepisse, tantamque tui existimationem habere. Et sane quotusquisque est non in Hispania solum, sed in Italia, in Europa etiam tota, qui nesciat, quem sublimem doctrinæ gradum, & summo, quo polles ingenio, & legendi meditandique assiduitate, sis consecutus? Et quod in Medico optandum est magis, quodque ægrotantibus saluberrimum est,

quam

quam recte, quamque feliciter in curandis, pellendisque morbis, tua scientia, doctrinaque utaris?

Recordabitur sane Hispania, semperque grati animi significationibus profitebitur magnum illum, quem ex tua doctrina fructum excepit; cujus notitia, cum ingenii tui commendatione, ac laude in alias etiam Europæ provincias propagata est. Nam cum superioribus annis diro quodam morbi genere afflictaretur, qui longe lateque serpebat, ac propagabatur, qui cum communibus atque ad eam diem cognitis remediis nihil cederet, ingentem ubique edebat stragem, & regno ipsi pene toti exitium minabatur; Caroli III. Regis imperio, ea tibi, difficilis sane provincia decreta est, ut tanto malo mederêris. Tu vero in ea administranda, & prudentissimi Regis de suorum Civium salute solliciti judicium, & quantum ingenio, doctrina, dexteritateque medendi valeres, comprobasti. Novo siquidem a te inventæ, excogitatæque compositionis medicamento, perniciosi morbi, qui in dies magis magisque invale-

valescebat, ne in corpora hactenus non infecta invaderet, vim, impetumque retardasti; quæ vero jam occuparat eodem præsentissimo remedio pene ex ipsis mortis faucibus eripuisti, Hispaniamque universam ab imminentis contagionis periculo, ac metu liberasti.

Quocirca æquus rerum æstimator Rex in ea, quam de te conceperat, opinione experientia ipsa confirmatus, eum tibi honorem, quo certe majorem non poterat, detulit, cum sanitatem ipse suam tibi tuendam, vitamque, quantum homini licet, conservandam commisit, regiique sui Palatii Protomedicum etiam dixit.

Hunc ego tibi honorem, Vir Clarissime, vehementer gratulor, neque aliud, aut optare, aut augurari me tibi posse vides, nisi ut Caroli IV. optimi, potentissimique Regis, Augustæque suæ Familiæ, sanitatem, magno tot Civium, totque Regnorum bono, quam diutissime integram, sarctam tectam tueri, conservareque possis; cum hanc votorum tuorum summam esse credam. Vale.


PRAE-

CENSORUM JUDICIA

Evaristi Albites V. C. Artem præsagiendi de exitu ægrotantium; præsertim in acutis, quum jussu Reverendissimi P. Thomæ Vincentii Pani attente legerim; videor mihi affirmare posse, opus elegans esse, ingeniosum, eruditum; atque e medicis haustum fontibus, prorsus ut nihil exquisitius; aut utilius in hujusmodi dicendi genere expeti possit. Atque equidem quum legerem, semper magis in mea me confirmari de ipso opinione gaudebam, & celeberrimi Viri egregios cum summa diligentia labores commendabam animo. Quare proferatur per me quidem in lucem; ex quo non parva in lectores utilitas; non *tenuis* itaque *gloria* in ipsum Auctorem est redundatura.

Romæ Calend. Septembr. MDCCXCV.

Franciscus Petraglia Professor Medicinæ.



Reverendissimi Patris Thomæ Vincentii Pani Sacri Palatii Apostolici Magistri mandatis obtemperans lubentissime, ac diligenter perlegi opusculum, cui titulus „ *Ars præsagiendi de exitu ægrotantium præsertim in acutis,*

ab eximio viro D. Evaristo Albites summo cum studio, & labore elucubratum, hippocraticaque ratione sane imbutum; Medicinæ vero studiosis apprime utilissimum, atque accommodatum perspexi, in præsagiendis præsertim humanæ vitæ infirmitatibus. Et sicut in eo nihil deprehendi, quod Catholicæ Fidei, aut morum probitati repugnet, nec non Principum dignitatem, magestatemque lædat: ideoque dignissimum censeo, ut typis mandetur.

Romæ VI. Idus Septembris MDCCXCV.

Petrus Orlandi Philosophiæ, ac Medicinæ Doctor, Romani Congressus Accademici, necnon Georgicorum Academiarum Trejensis, Tarquinensis, atque Fulignatis Socius &c.

INDEX

§. §.

Quæ in hoc opusculo continentur:

PREAFATIO.

A sa

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Fr. Xaverius Passeri Vicesg.



IMPRIMATUR

Fr. Thomas Vincentius Pani Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apost. Mag.



PRAEFATIO

Quamvis omnes Medicinæ partes dignæ prorsus laude sint, tamen eam, quæ de vita, .. morte ægrotantium præsagia ostendit, maxi-.e inter alias laudem sibi promereri Sapientes .mnes deprædicant; & merito quidem: scien-.a enim ea pene divina est, cum non modo, .uæ ante oculos sunt, videat, sed futura quo-.e longe prospiciat. Id quoque in amplissi-.o & laudis, & dignitatis gradu ipsam locare .detur, quod ex ea tamquam ex fonte fœcun-.ssimo duo beneficia dimanant; unum, quod .edici sibi ornamentum, & decus: alterum; .od ægri maximam utilitatem comparare con-.everunt. Nam morbo affecti, cum Medicum .lut ex tripode vaticinantem audiunt, causas-.e morborum, & exitus aperientem, citius, .bentiusque ejus præceptis obtemperant, unde .cilius quoque amissam sanitatem recuperant:

meden-

medentes ipsi, præviso morbi periculo, aut opportunis auxiliis malo occurrunt; aut quoties morbus arte major ab ipsis dijudicatur, apposito prognostico cavent, ne occidisse, quos non sanasse, videantur. Ad eorum quoque famam, nominisque gloriam multum conferre videtur futurorum prædictio; cum nihil æque, ac ipsa, & in arte peritiam, & in judicando rectam rationem manifestet. Præterquamquod, ipsi assidentes, sive tantum amici, & familiares, sive ægri propinqui sint, audito Medico de morbi exitu prædicente, vel spe certæ salutis eriguntur: vel futuro dolori lenocinium parant; cum nihil æque minuat dolorem, aut leniat, quam animi prævisio, & præparatio, præsertim si jam ea præstiterint, quæ debuerant.

Ars ista, quæ ut præstantissima, ita longe utilissima est, velut angulari lapide, triplici fulcro innititur, experimentis videlicet, rationum momentis, & Virorum illustrium sententiis, maximeque Hippocratis, qui in hac scientiæ parte reliquos Medicos, ut ipsi fatentur, longe antecessit: inde ejus opera, apud omnium ætatum sapientiores tam grandem auctoritatem consecuta sunt, ut tamquam divina oracula modo habeantur, semperque habita sint. Ab Hippocrate Galenus claruit, ipseque prædicendo morborum exitus,

tan-

tantam sibi laudem promeritus est, ut Eudemius Romæ Philosophus præstantissimus, de eo alta voce suis amicis dixerit = Pithium Apollinem vaticinari ægrotantibus voluisse ore Galeni. = Ad utriusque gloriam accessit Alpinus, qui de prædicenda vita, & morte ægrotantium librum in lucem emisit, nocturna porro, ut placet immortali Boerhaavio, cujus sententia plurimi est in Medicina, diurnaque Medicorum manu versari dignum. Horum auctoritatibus, sententiisque sapientissimis in hoc meo, ut ut sit, labore maxime uti mihi propositum est, cum certe majoris ponderis alias, & invenire non facile, & quærere inutile putem.

Quæ cum ita sint, præsagia, de quibus jam modo sermonem instituturus sum, ea ratione tradam, ut quæ experientia innixa esse videam, ad eam tamquam ad gravissimum veritatis tsibunal, Medicinæ studiosos provocem, atque deducam; non enim, quæ fortuito casu, sed quæ constanti rerum eventu in ægris deprehenduntur, religiose referam: quæ rationibus, eas paucis indicem; ratio enim in judicando, & primas habere, & plurimum valere debet: quæ denique auctoritatibus, sapientissimorum hominum, ut dixi, proxime adnectam; nam hoc sermonis genus positum in veterum aucto-

rita-

ritatibus, & eorum maxime, qui illustriores habentur, nescio quo pacto gravitatis plus habere videtur.

Jam ergo ad illa, quibus ars prædicendi innititur, accedamus; quæ ut fundamenta artis peæcipua sunt, ita quoque & claritatis, & auctoritatis multum orationi nostræ afferre possunt.

ARS PRAESAGIENDI

DE EXITU AEGROTANTIUM PRAESERTIM IN ACUTIS.

§. I.

Ad bene præsagiendum de exitu ægrotantium præcepta generalia.

CUM in assequendis, pronunciandisque de vita, & morte præsagiis, & festinatio nimia, & inconsultus animus mentis aciem perstringendo, multis gravissimisque erroribus causam præbere possint, opus esse ducimus, ut Medici antequam de ægrotorum exitu sententiam suam proferant, palamque faciant, multa ante oculos habeant, seriaque cogitatione pervolvant, & meditentur. Ex quibus:

Primum, & præcipuum illud est; quod universæ Medicinæ fundamentum, in sola hominis natura situm est: suis hæc viribus, seu facultatibus sine ullo artis auxilio sanitatem tueri, &

 mor-

morbos expugnare valet; ipsa aut deficiente, aut repugnante, vel præsantissima medicinæ præsidia in casum adhibentur.

Alterum: quod naturæ nomine ea vis, seu facultas intelligi debet, quæ in toto corpore residet, atque toti ipsi adeo insita est, ut singulæ partes singulis tueantur, mutuoque commercio, quæ bona sunt, accipiant, & quærant; quæ mala, fugiant, & adversentur.

Tertium: quod hominis vita, (salva animæ cum corpore unione, cujus ope anima strenue corpori consulit) a solo partium corpus constituentium commercio pendet; mors vero ab hujus commercii totali cessatione.

Quartum: quod salus, integraque valetudo repeti debet a facili, jucundo, & regulari partium corpus constituentium exercitio; infirmitas vero, debilisque valetudo, a difficili, injucundo, & irregulari earumdem partium commercio.

Postremum: quod corporis quæcumque adversa valetudo, quoddam veluti certamen inter naturam, & morbum sit, quo natura suis viribus; & facultatibus instructa morbum expugnare pro virili contendit, & tamquam saluti, & vitæ inimicum ex corpore expellere: Morbus contra magna stipatus symptomatum caterva,

natu-

naturæ vires superare tentat, ægrumque ad exitium deducere. Inde cum Galeno statuendum non immerito videtur, quod fundamentum prognosis sit attenta, & circumspecta consideratio virium naturæ, & morbi in ægrotantibus, ut ex utriusque diligenti examine, & accurata existimatione, quidnam ex iis prævaliturum sit, facile intelligatur.

Ad vires itaque ægrotantis peritus Medicus attente inspicere debet, & æqua lance, quantum in quibuscumque sit, ponderare; nam si validiores fuerint vires naturæ, cito morbus solvendus erit; ita cito mors adventabit, ait Alpinus, si illæ imbecilliores sint, morbus vero fortior. Et cum non in morbi initio, neque in augumento, sed post statutum tempus, quod declinationis dicitur, morbi solutio contingat, id etiam Medicus, ut recte præsagire valeat, attenta conjectura prævidere debet; an videlicet vires naturæ morbo colluctantis, eousque perdurare possint, an vero prius defecturæ sint, quam morbi victoria, ipsaque valetudo comparetur: quemadmodum, qui de brevitate, & facilitate itineris recte pronunciare desiderat, opus est, ut de itinerantis robore, de oneris magnitudine, de que viæ longitudine antea certus sit; æger autem, ut Galenus apposite animadvertit, portanti onus, morbus

oneri, & tempus morbi longitudini viæ respondet.

Itaque, antequam morbus consistat, & quodammodo adolescat, non est admodum tuta prædictio, quia non potest Medicus ante prædictum tempus vires naturæ, & morbi æqua lance metiri: non ergo illico, & a principio respondeat ægris, aut assidentibus volentibus præscire, quidnam in morbo sit futurum: sed caute, & prudenter se gerat donec de morbi exitu certior factus sit, & morbi & naturæ vires, in morbi augmento cognoverit, ubi cum maximum certamen sit, vires utrimque metiri facilius est.

Quando vero morbus in declinatione sit, jam certo salutem prænuntiare poterit, quia tum natura viribus morbi superior est; alioquin non esset morbi declinatio: sed ne Medicus in errorem dilabetur, falsam pro vera declinatione accipiens, unam ab altera ipse cognoscere, atque distinguere debet: sæpe enim morbus declinare videtur, quia aliqua symptomata evanescunt, quin revera declinet, imo talis falsa declinatio, pernicioso indicio est; sic in lateris inflammatione, cessatio doloris, non cessantibus febre, difficilique respiratione, non bona morbi declinatio est, cum talis insensibilitas futuræ gangrenæ, seu jam emortuæ partis apertum signum sit.

sit. Declinatio morbi vera est, cum cessante febre, symptomata quoque cessant; animique & corporis vires recreantur.

Præter ea, quæ jam diximus, id etiam refert animadvertere, multiplices esse vires naturæ, seu corporis animati, ex quibus præstantissimæ sunt, quæ in cerebro fiunt; & cum spirituum animalium ope celebrentur, vires, seu facultates animales apud Medicos audiunt; aliæ vitales dicuntur, neque adeo nobiles sunt, licet usui vitæ apprime necessariæ, & in pulmonibus, cordisque thalamo perficiuntur, ope nimirum respirationis, & circuitus sanguinis: tertiæ denique naturales appellari solent, omnibus ignobiliores sunt, atque in stomacho, jecinore, intestinis, aliisque visceribus, coctioni, digestioni, distributioni, & chilificationi assumptorum inservientibus, ut vel ipsis tonsoribus notum est, elaborantur: id, inquam, refert animadvertere, semperque animo retinere, quod ex iis functionibus, viribusque Corporis animati, quo plures simul, & semel deficiunt, eo plus morbi periculum est; si vero aliquæ tantum, majus ex animalibus, quam ex vitalibus; multoque magis ex istis, quam ex solis naturalibus timendum est: quoniam ægroti, ut constanti experientia notum omnes, perspectumque habent,

hoc graviori vitæ discrimine versantur, quo pars affecta, vel nobilior est, vel usui vitæ magis necessaria. Sed de iis aliquanto fusius sequenti capitulo agemus, quia res maximæ utilitatis est.

Sunt quoque alia multa, ut habitus ægrotantis, ætas, sexus, conditio, temperamentum, mores, pluraque iis similia, quæ Medici ob oculos habere debent, ut rectum præsagium assequantur; & sine quarum notitia, ut ait Celsus, non facile quidquam in futurum præsagiri potest, Si vero ex iis, quæ diximus, atque infra quoque dicturi sumus, aliqua sint, quæ parva nulliusque momenti videantur, prudenti vero, peritoque Medico non ita videri debent; nam ut in malignis temporum constitutionibus, & prævidendis, & prædicendis sæpe exiguus mus, ut Fracastorius animadvertit, augurium tibi triste dabit, ita quoque ad assequenda, & prædicenda morbi pericula, vel levissima signa multum conferre possunt: ex quo non immerito Hippocrates artis præsagiendi vir singularis, fereque divinus, nihil in morbis contemnere, nihil parvi faciendum docet; parvis siquidem in rebus non vulgi homines, sed sapientes ipsi multa, magnaque deprehendere didicerunt.

Illud præterea tamquam certum in arte præsagien-

agiendi haberi debet; quod multa signa, licet bona sint, spemque promittant, si vero unum, aut *alterum* perniciosum sit; prudenti Medico timendum est; quoniam bonum ex integra tantum causa ut plurimum oriri solet. Neque id timidi animi nota est; nam si multa quoque perniciosa sint, mortemque præ foribus esse annunтient, unumque, vel alterum signum salutare maneat, non protinus æger aut conclamandus, aut deserendus est; tum quod id inhumanum videtur; tum etiam quod natura, ut Parens ipse medicinæ monet, est custos sui, sapiensque magistra, & non raro multa extemplo, præterque omnium opinionem operatur; quorum ratio nobis latet.

Scire etiam licet ex Jacotii monitu, signa omnia, quæ boni aliquid, aut mali certo pronunciant; firma, & constantia esse debere; quæ enim non persistunt, & modo accedunt, modo recedunt, ad nimiam potius nervorum irritabilitatem, quam ad naturam pravamque morbi indolem referri debent; & adventitia esse solent, non vera morbi symptomata; quorum notitia, & accurata distinctio Medicis in prognosi facienda admodum necessaria videtur.

Id etiam sciendum est, an symptomata; quæ in ægro observantur a morbo ipso, vel ab alia

causa externa, & accidentali, malave corporis constitutione oriantur; nam in illa re aliquid; in hac vero minime neque boni, neque mali ex ipsis desumere possumus.

Neque ignorare oportet ad recte præsagiendum, ut Valesius animadvertit, qualis sit ægri habitus, & consuetudo: si enim aliquid insuetum in morbis oriatur, terrere Medicos merito debet: si vero qnod sano familiare est, atque consuetum, etiam ægrotanti accedat; terrore vacuum est: oculis ex. causa, non commissis, si febre acuta correptus dormitet, exitiosum porro apud omnes est: si vero ita dormire homo consueverit, exitium inde minime timendum est.

Itaque scire oportet, quod multi a natura pulsus intermittentes habent; & non pauci in somno dentium attritum patiuntur; nonnullis super ventrem dormire comunne est; clangosa voce non pauci quoque loquuntur; quæ omnia in iis non sunt mala; cum tamen in non assuetis, & causa febris orta, funestissima sunt, præsertim, si aliis malis signis simul adjuncta illuceant.

Præterea non ignorandum, signa lethalia appellari, non quæ perpetuo, sed quæ frequentius lethum ægrotantibus afferunt; neque singula, quæ lethalia appellantur, ex se tantum, seorsimque sumpta lethalia esse, sed oportet ea cum aliis

conjun-

conjungi ; quod enim lethale est ; multo evadit lethalius , si alia quoque signa perniciosa accesserint ; si vero non ; morbi longitudo , non pernicies timenda est .

Scire etiam licet , quod eadem signa , quæ modo mala sunt , mortemque minantur , bona aliquando esse possunt , salutemque prænuntiare , a tempore videlicet , & modo , aliisque circumstantiis , quibus illucent . Sic cardialgia, convulsio , delirium , inquies , & anhelatio , sunt quidem signa perniciosa in acutis , si vero coctionis tempore , & expulsionis materiæ peccantis , in quo maximæ perturbationes incidunt , a valido videlicet naturæ cum morbo certamine , illuceant , non mortem , sed imminentem crisim annuntiare solent .

Neque ignorare licet , ad integram valetudinem recuperandam omnia signa bona esse debere ; ad mortem vero subeundam satis plerumque esse unum signum malum habere . Si enim aliquis pus expuit post hæmotipsin , neque in eo alia signa mala animadvertantur , illud signum , sputum videlicet puris , lethale est : quoniam ægrotum brevi temporis spatio contabescere , mortemque subiturum ostendit .

Illud tandem constans , perpetuumque est , in quocumque morbi genere , de quo Medicus

dicus prædicere debet, signa signis conjungenda esse, & pluribus in unum conspirantibus præsertim inhærere; sub ipsisque præsagium, judiciumque suum proferre; sed ita tamen, ut non absolute, sed sub iis, similibusque conditionibus proferatur.

I. Si aliquid contrarii, aut pejoris notæ non supervenerit.

II. Si reliqua fuerint paria.

III. Si remedia exhibita solita virtute valuerint.

IV. Si æger Medici præceptis obsequens fuerit.

V. Si Assidentes functi fuerint officio suo.

VI. Si externa, ut aer, cibus, & potus, animi tranquillitas, aliaque hujusmodi ad scopum contulerint.

VII. Si natura ipsa, sive proprium ægri temperamentum, & naturalis constitutio operam suam contulerit.

VIII. Si denique Supremus rerum Dominus, cujus in manu vita, & mors hominum est, votis ægrotantis, & Medici conatibus libenter obsecundet.

Istis, similibusque diligentiis adhibitis in prædicendo Medicus non valde falli potest; quod a sapienti solum petendum est: sicuti enim numquam falli, quid divinum, supraque hominis pote-

potestatem est; ita rarissime, solius sapientis, in arteque versati, proprium esse puto. Sed fallendi quoque, verbaque dandi in præsagiis occasio abesse facilius poterit, si iis, quæ modo commendavi, sequentia accesserint, quæ certe Medici, non histrionis propria esse puto.

I. Recta videlicet cognitio morbi, ejus indolis, causæ, atque naturæ.

II. Notio temperamenti, habitus, morum, ætatisque ægrotantis.

III. Internarum corporis partium situs, nexus, ususque præcipui per anatomen accurata notitia, & assidua contemplatio.

IV. Ægri frequens inspectio,

V. Remediorum recta, & sollicita applicatio; eorumdemque assidua, & diligenti experientia comprobata utilitas.

IV. Auctorum, qui de eo morbo ex professo egerunt, assidua lectio, & meditatio.

VII. Maturum, & accuratum (si quid vel gravius accidat in morbis, vel insolens videatur) cum viris gravissimis, ipsisque in republica medica probatissimis, consilium suscipere.

Tandem, cum nihil vita mortalibus carius sit, nihil porro magis ipsis vel invisum, vel odio sum est, quam nuntium mortis; itaque prudens Medicus, cum ex artis principiis, constanti-

que

que rerum eventu, ægrum jam in extremis versari cognoscat, non ex se, sed vel amicorum, vel propinquorum ope, de ejus imminenti eventu certum faciendum curabit; neque mortem, sed grave vitæ periculum ipsi annuntiare sat erit: tum ne tristi mortis nuntio æger perturbetur, vitæque periculum crescat: tum quoque ne ipse Medicus, & ægroto, & ipsis propinquis invisus fiat. Nam cum fere semper homines sibi potius, propriisque votis, quam veritati assentiantur, non morbum insanabilem esse, sed Medicum opportuna, validaque remedia ignorare existimant; itaque hoc dimisso alius vocatur, qui vel eorum animos vana spe erigat; vel novis, & peregrinis remediis, ancipitique cura, sanationem tentet; quæ si forte contingat, nam in nostra arte, ut ait Averrhoes, sicut in reliqua natura miracula quoque eveniunt, fortunatus Medicus plenis buccis laudatur, dum prior, licet sapiens, & prudens, dilaceratur, & furiis, inferiisque devovetur. Unde clare patet non minori scientia, quam prudentia Medico opus esse, ad præsagia de ægrorum sorte, morborumque exitu proferenda.

Hæc sunt, ni mea me fallit opinio, artis præsagiendi pauca quidem, sed firmissima validissimaque fundamenta; quibus in antecessum præmissis, ut accurato judicio perpendantur, jam pauca

quoque

quoque, sed quæ mihi selectiora visa sunt, dignaque memoria teneri, præsagia pronunciare incipiam, ut sumere volentibus documenta, de re adeo utili, & necessaria, longæ inquisitionis labor absit. Si quis vero sit, qui plura, majoraque desideret, adeat Galenum, Duretum, Valesium, Jacotium, Hollerium, Golterium, aliosque Hippocratis, non vulgaris nominis commentatores; præsertimque Prosperum Alpinum aureo in libro *de vita, & morte ægrotantium*; & infinitam propemodum silvam inveniet, forteque uberiorem, quam ipse optare, aut excogitare poterat. Ego Sapientis consilio modo utar: ingentia nimirum rura laudans, exiguum colam: idque duplici de causa, prima, ut temporis angustiis, quibus parce uti, clinicæ, domesticæque meæ occupationes vix concedunt, inserviam; altera, ut genio Lectorum nostræ ætatis, qui ingentia volumina nedum legunt, sed cum gravi nausea rejiciunt, indulgeam. Non enim desunt multi, ut Pasta existimat, qui rerum multitudine perterriti, quominus ea, quæ attente, quæ sæpius legenda sunt, legant; & alii ea quoque, quæ perlegerint, ob copiam, grandemque multitudinem, memoria comprehendere, ut debuerant, servareque nequeant. Quæ cum ita sint, ut multa paucis complectar, & quæ apud alios latius diffusa sunt, brevi quoque metho-

methodo tradam, & sub uno aspectu subjiciam: de ægrorum primum natura, habitu, & temperamento breviter disseram: deinde de morborum natura, & indole, nec non de causis, & tempestatibus, in quibus potissimum ipsi oriuntur, & decidunt, paucis agam: postremo, de symptomatibus, aliisque signis, quæ in morbis frequentius eveniunt, & observantur, sermonem instituam: & quoniam ista, & medentium, & ægrotantium sensus acrius irritando, mentem quoque excitant, clarioresque notas ad præsagiendum exhibent, in ipsis pertractandis, si aliquanto fusius immorabor, rem minime inutilem me præstiturum putabo: quibus animadversis, proximum est, ab ipso ægrotante initium præsagiorum capere. Sed de viribus naturæ, de quibus, singulis fere capitulis, nobis sermo habendus est, prius agamus.

§. II

A viribus naturæ præsagia.

CUM de naturæ, seu corporis animati viribus frequenter nobis sermo habendus sit, quid istæ vires sint, nobis ante omnia, & fusius iis, quæ jam diximus, præfationeque anteacta declaravi-

ravimus, exponendum videtur quo facilius, quæ dicturi sumus, intelligantur.

Organis variis, multiplicique instrumentorum serie corpus nostrum natura contruxit, atque munivit, ut eorum ope, & actione functiones ad vitæ usum necessariæ exequerentur. Cerebrum intra cranium, sublimiori videlicet corporis parte collocavit, ossibusque solidissimis undique contexit, ut ab injuriis externis tueretur; functiones, quæ in eo præcipue fiunt, sunt imaginatio, memoria, & cogitatio, atque apetitus, quæ interni sensus dicuntur; visus quoque, tactus, gustus, olfactus, auditus, qui externi sensus audiunt, ejusdem ope perficiuntur.

Ossibus pariter, sive multiplici costarum serie thoracem natura intexit, in ejusque amplo sinu pulmones posuit, quorum, in medio cordis thalamum constituit, ut eorum ope respirationis mutuus motus, & perpetuus sanguinis circuitus perficerentur; sine quorum usu, & exercitio, cum vix ad momenta vivat homo, functiones vitales merito appellantur.

Venter pone sequitur, qui si nobilitate superiores partes non æquat, magnitudine certe, & varietate viscerum, quæ continet, longe superat: sola membrana septum transversum vocata, quam Diaphragma Græci appellant, a præcordiis deducitur;

in

in ejus amplo, mollique cavo ventriculum, lienem, & jecorem, renes & mesenterium, omentum, & vesicam, longumque, & tortuosum intestinorum tractum miro ordine natura disposuit; ut assumptorum digestio, coctio, & distributio, aliæque functiones, quæ naturales dici solent, in iis visceribus exequerentur.

Istis viribus, atque instrumentis natura munita continue vigilat pro conservatione, & incolumitate viventis; iisdemque utitur opportune, ut corpus a morbi, symptomatumque violentia defendat, & sartum tectum conservet: unde cui corpus nostrum arci bene munitæ placuit comparare, non male comparavit.

Sedet profecto natura tamquam Dux arcis solertissimus, vigilantissimusque præfectus in nobilioribus corporis partibus, unde reliquis prospicit, & opportune opitulatur: Sunt sensus tum interni, tum externi, ejus satellites, vigilesque excubiæ, qui, ubi morbus adoritur, inflatis tubis, ut ita dicam, hostem adesse nuntiant, & ad prælium naturam invitant.

Functiones corporis, tum animales, tum vitales, tum naturales sunt vires, bellicæque operationes, quibus natura valide in morbum utitur, ut in fugam agat, prosternat, & vincat. Hostis morbus est, qui modo a tergo, & per insidias naturam

turam aggreditur, modo a fronte invadit, modo unam, modo alteram corporis partem, modo omnes simul adoritur, modoque nobiliores, modo minus nobiles, ut multis tandem, aut principibus superatis, arx universa cedat, & corruat.

Symptomata sunt arma, & machinæ, sive tormenta bellica, quibus morbus in corpus agit, ut vincta natura, id quoque vincat, & destruat. Et veluti Dux arcis solertissimus validius agit in hostem, quoties iste præcipuas, nobilioresque partes arcis adoritur, quia eas defendere, & sartas tectas servare, res est majoris momenti, & utilitatis; ita quoque natura, quoties morbus præcipuas, nobilioresque corporis partes oppugnat, vires, quæ ipsi præstantiores sunt, ad certamen educit, & valido marte agit, ut eas tueatur, incolumesque conservet: sed in valido utrinque prælio, dubius semper victoriæ exitus: si una pars altera fortior, victoria fortiori favet: itaque si morbus fortior erit naturæ viribus, æger profecto morietur; si vero debilior, haudquaquam morietur, ni quidquam vel mali committatur, vel novi accedat, quod naturæ vires prosternat, aut ægritudinis augeat. Itaque ad ægri eventum prædicendum, & morbi, & naturæ vires sedulo sunt animadvertendæ, & Sanctuarii, ut ita dicam, lance perpendendæ sunt.

Nec mirari quisquam debet, si Medicus robur naturæ, & morbi recte perpendens, victurum tandem intelligat; Galenus enim jam diu animadverterat; quod Medicus his duobus, morbo, inquam, & naturæ colluctantibus animum semper intendit, atque dum discernit, quodnam horum robustius sit, primum quidem secum de salute hominis, ac interitus præsagium depromit. Viribus porro naturæ, a morbi principio ad finem usque validis existentibus, faustus ægri eventus designatur: malis contra auspiciis incipit morbus, qui a magna virium resolutione incipit, vel qui viribus ægrum, aucto certamine, privat: nihil enim contra vim sine vi, vel obtineri, vel sperari potest.

Quæ cum ita sint, statuendum est; quod, si sensus humani corporis, tum interni, tum externi violentia morbi nihil a statu naturali deflectant, æger porro facultatibus, viribusque animalibus valentissimis, præstantissimisque præditus sit, unde in certamine cum morbo victoria speranda est.

Si æger quoque bene, & facile respiret, si pulsus magnos, validos, æquales, & ordinatos habeat; si quiescat molliter, si corpore agilis sit, & facile ad consueta, & necessaria officia moveatur, indicio quoque manifesto est, ipsum viribus

vita-

vitalibus robustissimis valere; unde fortiter, & prospero, faustoque eventu in morbum pugnaturum.

Si tandem ægrotus cibos, & potus bene appetat; si assumpta retineat, coquat, beneque digerat; si opportuno tempore, & per consueta loca superflua secernat, & eliminet, facultates ipsi, seu vires naturales integræ, & fortissimæ sunt: itaque, quæcumque in corpore tum evenient, sive aures patiantur, sive oculi, & fauces male se habeant, sive artus dolore torqueantur, & ut paucis multa complectar, quæcumque perturbationes in corpore a morbo *inopinanter* excitentur, non tardam, sed celerem victoriam; non funestum, sed felicem pugnæ eventum certo denuntiant; unde merito nos existimamus, & cnm Galeno, & Hippocrate, aliisque viris clarissimis certum esse putamus, a naturæ, & morbi virium cognitione præcipuam in ægrotis prædicendi rationem deducendam esse. Quærentibus autem, quando exitus ad mortem a debilibus naturæ viribus desumendi sunt? Paucis porro respondendum censeo.

I. Quando videlicet, vires ab ipso morbi principio labefactatæ sint: quoniam id maximam morbi malignitatem indicat, cui superandæ impar natura esse solet.

II. Quando vires naturæ circa tempus criseos

summopere prostratæ sunt; quoniam debili, effœtaque natura, nulla crisis salutaris fieri potest.

III. Quando symptomata gravissima, cum summa virium destitutione illucent; quia natura viribus resoluta violentiæ morbi acuti obsistere nequit.

IV. Quando ea facultas naturæ debilitata est, licet reliquæ integræ sint, a qua potissimum morbus debebat superari: in lateris ex. c. dolore, quando jam materies morbi concocta est, tussique expelli deberet, si vis tussiendi deficiat, exitium in promptu est: quoniam materies intus retenta, aut corrumpi, aut ægrum cito suffocare debet. Quærentibus insuper, quales naturæ vires perturbari, debilitarique debeant, ut funestum præsagium desumatur? Paucis quoque respondendum existimo.

I. Si omnes naturæ vires, naturales scilicet, vitales, & animales una, simulque perturbentur, debilesque fiant: quoniam hæc generalis perturbatio, fieri non solet, nisi in maximo certamine, jamque natura a morbo quodammodo superata.

II. Si functiones, quæ ad usum vitæ magis necessariæ sunt protinus, multumque lædantur. Quænam istæ sint, ex physiologicis notum est.

III. Si ea functio maxime perturbetur, lædaturque, ubi morbi sedes est, & cujus robur, & inte-

integritas necessariæ omnino essent, ut morbus oppugnaretur. Sic apoplexia lethalis est, non a respirandi difficultate, sed a totali sensuum abolitione; sic asthma exitiale est, non a sensuum abolitione, sed ab imminuta, penitusque abolita respirandi facultate; sic hydrops mortalis est, non a respirandi difficultate, sed ab urina omnino suppressa, & per totum corpus diffusa: & ratio omnium præcipua est; quia apoplexia in functiones præsertim animales; asthma in solas vitales; ac tandem hydrops in solas naturales agit, constanterque operatur. Hisque de naturæ viribus breviter, summatimque præmissis ab ipso habitu ægrotantis præsagia capiamus.

§ III.

Ab ægri natura, habitu, & temperamento psæsagia desumenda.

Ægrotus ipse, de cujus exitu Medicus præsagire debet, primus omnium indicia salutis, & mortis exhibere solet: si enim ante morbum bene valuit, integrisque animi, & corporis viribus fuit, facilius certe morbi violentiæ resistet; non ita vero infirmus, prælanguidus, & qui vel cachexia, vel lue sceltica, vel scorbutica, vel ali-

quo viscerum vitio, malave conformatione laborat: quoniam in illo cum vires sint, est, quod morbus demat; in isto, cum desint, non est, quod ipsum morbum ferat. Ipsi quoque humores, cum aliquo vitio jamdiu affecti sint, novi adventu, licet id gravissimum non sit, facilius perturbantur, & vitæ hominis, bonæque valetudini infensissimi fiunt.

Resistet quoque morbo facilius homo exercitio assuetus, quam non exercitatus; is cujus temperamento, ætati, sexui, moribus, & constitutioni conveniat, quam cui minime respondeat; is tandem, qui alias ex eodem morbo sine periculo evaserit, quam cui novus omnino sit. Aliquid etiam in moribus ægrotantis animadvertere refert, nam si vi morbi mores mutentur, ita ut taciturnus loquax fiat; lenisque, & animo tranquillus, ferox, & inquietus, tutum non est: Itaque cum Celso jure merito existimamus, quod Medicus minime ignorare debet, quæ sit ægri ætas, natura, habitus, conditio, & temperamentum; humidum videlicet, an magis siccum corpus ejus sit; adolescentiæ, juventæque flore vigens, an longo senio confectum; validi nervi, an infirmi; frequens adversa valetudo, an rara; brevis, an longa: quod is vitæ genus sit secutus; laboriosum, an quietum; cum luxu, an cum frugalitate; domi,

mi, an ruri; *militiæ*, aut foro; litterarum studiis, an sordidæ artis aliqua occupatione distentum: ex iis enim, similibusque corporis, animique proprietatibus recte præsagiendi ratio deduci potest.

Videmus profecto, quotidianoque rerum eventu comprobamus, aliis morbis agricolas, rurique degentes, & aliis toto cælo diversis urbanos viros affici; ex istisque diversa pati litteris deditos, quam eos, qui liberalibus artibus operam navant: & multo utrisque gravius, atque frequentius cruciantur illi, qui sordidis occupationibus pro viribus incumbunt, ut sibi victum, & cultum parent. Quæ porro malorum diversitas, & multitudo a diversitate artis, seu opificii, cui exercendo singuli operam dant, oriri videtur. Sunt enim artes, corpus in quibus nostrum nimia quiete torpet, & hebescit; sunt, in quibus nimio exercitio atteritur; sunt quoque, in quibus a putridis, pravisque efluviis facile coinquinatur. Piscatores, qui in littore maris, fluviaque inter, & lacus vitam quærunt, per aquam, & ventos mille mala expiscantur, dum fabriferrarii per ignem, & focum mille inuruntur ærumnis: Qui cloacas, immundaque loca repurgant, quibus non efluviis contaminantur? Laniones, & coriarii, qui pelles, & cadavera animalium manu tractant, anthracibus facile corripiuntur. Perditi homines, licet ob gra-

vissima crimina capitis pœna mulctati sint, si ad salifodinas Cerviæ confugiant, decreto Pontificum asylum obtinent, cum certum, constansque sit, eos in gravissima vitæ pericula brevi offensuros, & ita commissa crimina sponte, proprioque corio expiaturos. Qui metalla effodiunt, dum aliis opes, & vitæ commoda parant, sibi ærumnas, lucemque brevissimam comparant. Qui præ manibus Hydrargirum habent, ut metalla, vel vitrea illineant, adeo ab ipso afflantur, ut paralitici evadant, & totis artubus, ne dempto capite, tremunt. Longum nimis esset, licet non prorsus inutile, in singulas artes inquirere, sed ex iis, quæ nos diximus, multisque ex aliis, quæ meminit Ramazinus, cum de Artificum morbis accurate disseruit, satis clare colligitur, quid, & quantum necessarium sit, artis, qua æger exercetur, notitiam certam habere, ut morbi tum curatio, tum prognosis recta instituatur.

Neque prorsus inutile videtur, ut de exitu morbi rectum præsagium proferatur, diligenter inquiri, quibus in terræ plagis prima ægri incunabula habuerint, aut vitæ potiorem partem egerint. Sicut enim a parentibus, ita quoque a diversis terræ regionibus labem quamdam, & infectionem, sive peculiarem sanguinis indolem homines sortiuntur, diuque latentem intra præcordia retinent,

quæ

quæ aliquando repululans; aut aliis malis complicatur, aut multorum morborum fœcunda causa fit. Neque id mirum videri debet diversas hominum tum naturas, tum affectiones contemplanti: videmus profecto Anglos phthisi, & vitæ tædio obnoxios frequentes esse, dum Sueci Nosthalgia, seu patriæ nimio desiderio conficiuntur: videmus quoque Hispanos, melancolia; Hetruscos, epilepsia; Maris Balthici accolas, scorbuto; Ægiptios, peste; Americanos, tetano; Polonos, plica; Guinenses, paralisi; Bononienses, scabie; Scytas, ischiade; Constantinopolitanos, podagra præ aliis frequentius affici: Lues venerea, quæ olim, initioque unius nationis erat; nunc temporis progressu, commercioque propagata, Cosmopolitana dici jam potest. AgriRomani incolæ febribus intermittentibus mali moris, & duris lienis tumoribus plectuntur; dum homines, qui in Alpium jugis degunt, vix nomine intermittentes cognoscunt, sed strumosis colli tumoribus deffœdantur. In Mauritaniæ regionibus dracunculus, sive vermiculus communis est, qui intra cutem sensim sine sensu irrepens, eam tandem inflammat, & corrumpit; dum in America parvi insecti quoque inveniuntur, vix optico vitreo conspiciendi, qui digitos pedum perforant, in ipsisque diu nidulantur; in Rhetiæ superioris pla-

gis

gis præsertim paludosis lumbricus latus vulgaris est, qui in intestinis diversatur. Quid dicam de Hungarica febri? Videtur mihi, ait Sinapius, hic morbus immani cuidam belluæ comparandus, qui exteros Hungariam adeuntes aggreditur, sauciat, & sæpenumero perimit; tamque insidiosus est iste morbus; ut exteros etiam in patriam, aliasque regiones dissitas ab Hungaria biscentum & ultra leucis tacite comitetur, & post alicujus temporis inducias iterum sævire, ac recrudescere incipiat. Quid dicam quoque de vomitu nigro gratissima Veræcrucis litora adeo frequenter, adeoque perniciose infestante, ut civitas ista Mexicani regni dittissimum penu, sepulcrum Hispanorum appelletur? Quid tandem? Feminæ Romanæ affectione hysterica, virique hypochondriaca adeo frequenter conflictantur, ut hæc molestissima animi, & corporis ægritudo, Romani soli morbus endemicus merito habeatur. Hujusmodi porro notitiæ Medico futura prædicturo, si non prorsus necessariæ, minime certe inutiles erunt.

Sed ad rem magis facit solidarum partium corporis claram, distinctamque notitiam habere: & an videlicet magnum vasorum robur, cum magna sensibilitate in eo sit; an vero exiguum vasorum robur cum exigua sensibilitate, attente perspiciendum est: & cum dari possit magnum vasorum robur

bur cum exigua sensibilitate; nec non cum magna sensibilitate exiguum robur, ad id etiam attendendum est: ex iis enim corporis proprietatibus, vario, multiplicique modo commixtis, exurgunt ea temperamenta, seu particulares constitutiones, quas Græci Idiosincrasias appellare consueverunt; ex quibus ut clarior morbi idea, ita quoque rectior prognosis haberi potest.

Neque abs re est, humorum, qui in ægro sunt, imperiumque quoddam supra animum, ipsumque corpus habere videntur, notitiam quærere, atque ex suis indiciis, notisque peculiaribus diligenter investigari, an humor, qui peccat sanguinis copia sit; an vero flemma, aut bilis, sive atra, sive ea flava sit: quod cum ex suis indiciis appareat, iterum inquirendum est, an humor exsuperans, corpusque lœdens, acrimonia alcalina malus sit, an vero acida, aut putrida, aut muriatica, aut ammoniacali, aut siqua sit alia: si enim Patri Medicinæ credimus, in sanguine, & salsum, & dulce, & amarum est. Sed cum omnis acrimoniæ theoria satis superque in libris Medicorum exposita sit, ad eos lectores libenter mittimus, præsertimque ad Gaubii pathologiam, qui hoc argumentum, ut recentiores Medici fatentur, omnium optime explicuisse creditur.

Cognita natura, habitu, & temperamento ægro-

grotantis, indoles, & natura morbi Medico protinus inquirenda est.

§. IV.

Ab indole, & natura morbi præsagia desumenda.

Id ratio suadere videtur, ut in graviori morbo gravius quoque vitæ periculum sit, differentias ergo morborum accurato examini subjicere refert, ut qui graviores sint, qui leviores; qui magis, qui minus periculosi facilius innotescant. Morbus aut acutus esse solet, aut chronicus; acutus discrimine plenus est, nam magnos a principio labores habet, brevique hominem, aut liberat, aut occidit. Chronicus lente movetur; & neque valetudo, neque exitium in promptu est.

Rursus acutus morbus vel maximus est, vel parvus: maximus, magnam functionum vitæ læsionem, cum gravioribus symptomatibus, vel a principio conjunctam habet: parvus, seu levior contra: iste facile, ille nonnisi ægre a natura, artisque auxiliis superatur.

Idem acutus morbus, vel certi, vel incerti exitus est: certi exitus, sed perniciosi est, omnis febris pestilentialis, cancer apertus, sphacelus, apoplexia fortis, cerebri inflammatio, nervorum-

que

que rigor, quem Tetanon Græci appellant: cum sub iis certa mors sit, & intra brevius temporis spatium tota morbi tragædia incipiat, & desinat. Certi exitus, sed salubris est, omnis febris ephemera, tertiana, & catharralis, diarrhæa simplex, vomitus a materie acri, & superflua in primis viis, quia sub iis ægri sanescunt. Incerti exitus sunt, febres omnes ardentes, putridæ, lethargus, angina, pulmonis, & lateris inflammationes, itemque ventriculi, lienis, jecinoris, uteri, &c. quia sub iis modo sanescit æger, modo perit; de iisque præsertim comprobari solet sententia illa Hippocratis ,, Acutorum morborum non omnino tutæ sunt prædictiones, neque mortis, neque sanitatis ,,

Neque solus acutus morbus periculosus est; etiam chronicus suo periculo torquetur: nam hydrops si confirmatus est post aliquod spatium tollit hominem: Phthisis quoque, quæcnmque ea sit, eamdem sortem ægris affert: ipsa quartana, quæ omnium febrium sicurissima habetur si continua evadat periculo non vacat, cancer, qui clausus diu vitam protrahit, si aperiatur, brevi sepulcrum eo laborantibus aperit; tandem Podagra, quæ ut plurimum acerbis doloribus diu tantum cruciat, etiam lethalis fit, si ad nobiliora viscera transferatur. Sed redeo unde discessi.

Acutus morbus vel simplex est, vel complica-

tus

tus: simplex ut plurimum ex una tantum causa; alter ex multis, sæpeque inter se adversis, coalescit: uti febris, quæ lue venerea, aut scorbuto complicatur; itaque simplex facilius devincitur, quia simpliciora auxilia, & poscit, & recipit; complicatus vero nonnisi difficulter, quia quod uni causæ adjumento est, alteri detrimento esse solet. Præterquamquod vix unum simplicem morbum, si magnus est, natura expugnat; quid cum multis? Certe succumbet, ait Alpinus, si robustissima non fuerit?

Est etiam acutus morbus vel increscens, vel decrescens: increscit, si laboranti ex. c. febre, & vigilia, aut delirium, aut convulsio accedat: decrescit, si vigilia detento blandus somnus; si veternoso vigilia superveniat, recedantque simul dolores, sitis, anxietas, aliaque hujusmodi symptomata, quæ molestiæ, & periculi plena sunt. Decrescens sanitatem pollicetur, increscens vero vitæ periculum minitatur.

Solet quoque acutus morbus magis, vel minus periculosus esse ratione sexus, & ætatis: itaque omnis morbus acutus periculosior est in femina utero plena, quam vacua: sputum quoque sanguinis minus periculosum est in feminis, quam in viris: in istisque magis timendum est circa adolescentiam, & pubertatem, quam si jam homo firma

ma ætate, ipsave senecta constitutus sit. Comitialis quoque morbus facilius viros, quam feminas offendit, neque is sanatur, si ad menstrua istæ, illique ad pubertatem sine levamine pervenerint.

Venenatus quoque esse solet acutus morbus, & non venenatus: venenatus dicitur, qui ab aliqua materia venefica, vel ore assumpta, vel morsu, aut vulnere sanguini inflicta oriatur; vel a veneno sponte in corpore genito; ita enim humores nostri aliquando corrumpi possunt, ut venenati evadant, aut effectus veneno similes producant: Non venenatus, a causis simplicioribus ortum ducit. Is vel a natura, vel ab artis auxiliis facile vincitur; illæ naturæ, & valentiora artis molimina sæpe eludit: & non raro prius occidit, quam veneni natura, vel innotescat, vel appositum antidotum inveniatur.

Accedit ad reliquos morbos acutos pestilens, & & contugiosus: pestilens vel ab aere maligno inspirato, vel a pravis assumptis, quæ deleteriam habeant qualitatem, originem ducit; contagiosus ab ægri in sanos transiens propagatur: uterque summi periculi est; sed pestilens contagioso magis timendus est, quoniam citius, & latius eo diffunditur, faciliusque ægrotantes e vivis tollit.

Item acutus morbus, certus, vel anomalus esse solet: certus ideam claram, distinctamque sui exhibet

hibet; itaque remedia adversus eum facile suscipiuntur, præsagireque de eo facilius est: non ita vero si anomalus est; itaque cum incerta morbi idea sit; neque certa curatio, neque prænotio esse potest.

Etiam morbus, qui consuetis auxiliis non juvatur, unde refractarius dicitur non parum terrere nos debet, in acutis enim breve spatium est, intra quod si quid non proficit auxilium, æger extingui solet; non enim tempus mutationi remediorum est, nec multa experiri sine periculo possumus.

Sunt denique plurimæ aliæ morborum varietates, quæ varios constituunt periculi gradus, pro majori, videlicet, vel minori functionum, quæ læduntur numero; pro majori, vel minori functionum, quæ læduntur utilitate; pro majori tandem, vel minori functionum, quæ læduntur intensitate. Sed cum istas, aliasque morborum differentias Medicinæ vel tirocinium facientibus satis notas putemus, amplius in ipsis recensendis immorari non prorsus ad rem nostram necessarium ducimus, itaque de præsagiis capiendis a tempore, in quod morbi incidere solent, protinus dicere aggrediar.

§. V.

A tempore morbi præsagia desumenda.

Quid, quantumque conferat ad recte præsagiendum anni tempus, in quo morbi incidere consueverunt, jam modo considerare oportet: suos porro morbos ver habet, suos æstas; sibi quoque peculiares & autumnus, & hyems patitur. Non quod in quovis anni tempore, omnia genera morborum non incidant, sed quod quædam frequentius observentur, & veluti facto circulo, ut stationes, ita quoque ipsi morbi sese invicem excipiant, statisque temporibus oriantur, & decidant.

Itaque vere, quæcumque humorum motu novantur, incidere solent; ergo tunc lippitudines, abscessus, pustulæ, sanguinis profluvia, morbus comitialis, gravedines, tusses, & distillationes facile observantur: iis quoque addi possunt omnia articulorum vitia, quæ modo accedunt, & rursus modo conquiescunt; nec non dolores, qui per totum corpus vagantur, exque impura venere promanant.

Æstas veri proxima est, ne quidem caret plerisque iis morbis; sed adjicit ut plurimum febres ardentes, continuas, intermittentes, vomi-

tus biliosos, alvi dejectiones, ulcera oris, & quidquid, ut ait Celsus, sudore hominem consumit.

Æstatem excipit autumnus, & vix quidquam ex iis, quæ diximus, in eum non incidunt; sed eo tempore frequentius oriuntur febres incertæ, perniciosæ, tertianæ malimoris, lienis, & hepatis dolores, spirandi difficultas, hydrops, tabes, intestini tenuioris morbus, diarrhæa, tormina, dissenteria, aliaque ventris, & intestinorum mala.

Tandem hyems adventat, quæ suis quoque morbis obnoxia est: nam capitis, & dentium dolores, anginam, tussim, raucedinem, apoplexiam, paralysim, pleuritidem, peripneumoniam, aliaque id genus, frequenter habet: & quidquid in præcordiis, imisque visceribus contracti mali est, movet, & exasperat.

Cùm vero ver, propter aeris temperiem, & gratum corporibus, & saluberrimum sit, etiam morbi qui eo incidunt, cum minus pestiferi sint, facilius quoque sanantur. Non ita æstivo, neque hyberno tempore evenit, quoniam morbi qui per ea grassantur, aut propter nimium frigus, aut calorem curatu ut plurimum difficiliores evadunt. Autumnus tandem quia maxime variat, modoque frigore, modo calore corpora exci-

excipit, periculosior omnium est: itaque morbi, qui eo accidunt, facilius interimunt, variisque rationibus nocent; nam quosdam celeriter rapiunt, præsertim quos æstivis malis fatigatos inveniunt; quosdam longissimis implicant, maximeque quartanis, durisque in hepate, aut liene tumoribus, qui cum per hyemem quoque durent, in auriginem, tabem, aut hydropem desinunt. Neque ullum tempus aut pesti, aut epidemicis morbis, ut constans experientia est, aptius esse solet.

Præter anni tempora, ejus quoque tempestates suam etiam symbolam ad prognosim conferre videntur: si enim constantes sint, & æquales, sive ab austro spirent, sive a boreali plaga; sive siccæ sint, sive humidæ, sive calidæ, sive frigidæ, meliores sunt, quam quæ inconstantia, ventorumque variatione insignes fiunt: dum enim corpora nostra modo calore laxantur, modo frigore comprimuntur, si sana sunt in morbos, si infirma in vitæ periculum facile incidunt. Nedum tempestates, ipsi dies, si incerti quoque sint, & inconstantes, sanis mali; ægris pessimi esse solent. Præterquamquod, in bono tempestatum habitu, si forte pejores morbi inciderint, leviores fient, promptiusque finientur; in malo, etiam morbi leviores periculo

 non

non vacant, nam in deterius pergunt, difficiliusque ut plurimum terminantur.

Suam quoque considerationem merentur anni constitutiones, quæ quodam facto circulo, certaque periodo redire solent, & in quibus modo unius generis, modo alterius morbi oriuntur, qui epidemici vocantur. De iis fusius agere, cum hujus loci non sit, id tantummodo admonere satis esse existimo: nimirum, quod in hujusmodi constitutionibus quid existit, quod hominibus intelligere adhuc datum non est, sed secretum Numinis esse videtur; unde Medicorum, vel sapientiorum judicia de hac re, aut falsa omnino, aut valde fallacia esse solent. Observantur profecto, sine ullo aeris vitio manifesto multa mala, eaque gravissima aliquando oriri, quæ porro, neque calori, neque frigori, neque humido, neque sicco, aliæve sensibili qualitati sui ortus primordia accepta referunt, sed cuidam occultæ materiæ, sensibusque impervIæ. Itaque Sidenhamius divinando potius, quam rationis, aut experientiæ argumentis suffultus, existimat; quod hujuscemodi anni constitutiones ab occulta, & inexplicabili quadam alteratione in ipsis terræ visceribus genita, atque per aerem late diffusa, pendeant; unde atmosphera depravatis effluviis contaminatur, quæ huma-

humana corpora, sæpeque omne viventium genus huic, aut alii morbo addicunt, atque determinant: sed hæc dictu facillima esse, probatu vero difficillima invenio: ejusdemque furfuris existimo, multas alias in re, de qua agimus, sententias tum illustrium, tum vulgarium Medicorum: neque mirum videri debet, quod viri alioquin sapientissimi, æque ac indocti, scopum minime attingerint; cum constans certumque sit tantum in tenebris cæcos videre, quam occulatos. Cum ergo constitutionum epidemicarum natura, & indoles adeo mirabilis sit, & occulta, diligentiori examine opus semper erit, ut de ipsis aliquid recte Medicus præsagire possit. Itaque primo, consilio divini Hippocratis, exacte perdiscendæ sunt, atque animadvertendæ temporum constitutiones, & quis morbus sit securus, qui periculosus, qui insons, qui lethalis aut in constitutione, aut in ægro, aut in ipso morbo quærendum est: deinde investigato, satisque perspecto constitutionis epidemicæ, morbique recurrentis genio, prout bene, aut male evenerit in ægrorum exitu, recto pede, ut ita dicam, & intrepidus ad prognosim, vel prosperam, vel adversam statuendam procedet: tandem vagantibus salutaribus morbis, signa quæcumque sint, sive mala, sive pessima non adeo

terrere Medicum debent, ac si grassarentur mortiferi, nam ad id tempus, neque ipsis signis bonis fidere oportet: cum enim constitutio malignantis naturæ est, non raro vitam; vel nihil timentibus aufert; ut in peste frequenter accidit.

Cum de tempore, in quo morbi incidere consueverunt, non pauca locuti simus, locus jam corporis examinandus nobis videtur, ubi ipsi morbi sedem præcipuam habere solent, unde graviores fiunt, vel leviores.

§. VI.

A loco morbi præsagia desumenda.

De morbi exitu facilius quoque Medicus judicare poterit, si partium affectarum rationem habeat, utpote quarum ratione; loco, & nobilitate periculum vitæ maxime variatur. Itaque gravior morbus existimandus est; qui internas, quam qui externas tantum corporis partes occupat; inde periculosior est pleuritis, quam scabies; quoniam illa in intima pectoris agit, ista extima tantum deturpat, & lœdit: pari ratione periculosior est phlegmon in pulmonibus, quam in cruribus; in gutture, quam sub axillis genitum. Nullo quoque metu medentes

contristari debent, si podagræ, vel acerbi articulorum dolores ægrum crucient; si pustulæ, si scabies, si impetigines, aliaque hujusmodi per cutem oriantur, dummodo tamen interiora, nobilioraque viscera nullatenus iisdem vitiis affecta sint.

Majus quoque periculum a morbo imminet, qui nobiliores, quam qui minus nobiles partes offendit; inde periculosior est phrenitis, quam pleuritis, & rursus pleuritis multo magis periculosa, quam quævis ventris affectio, quoniam cerebrum, sedes porro animæ cogitantis, spirituumque animalium thalamus, & officina, quod in phrenitide graviter patitur, multo pulmonibus, qui in pleuritide pati solent, nobilior est. Ipsi quoque pulmones, qui organa præcipua sunt respirationis, & vitæ, stomacho, & intestinis, aliisque imi ventris visceribus, quæ esculenta accipiunt, & concoquunt, nobiliores, præstantioresque habentur. Magis quoque periculi semper involvit morbus, qui universum corpus, quam qui aliquam tantum corporis particulam occupat: itaque merito dicimus, quod nulla febris sine periculo est; quia sola febris universum corpus infestat. Maximi quoque periculi metus est, si morbus, ut phlegmon, externas corporis partes occupans, ad internas transferatur; nullius vero, si intus

cum sit, ad extra vergat, & quam longissime a parte affecta recedat: jure idcirco, in pectoris morbis abscessus ad crura bonos judicavit Hippocrates.

Quod de morbis, qui remediis, idem de iis, qui manu tractari solent, dicendum esse putamus; si enim vena ex. gr. incidatur, nihil inde metus est, facile enim coalescit: secus vero est, si arteria, vel si leviter incisa sit; cum enim minime coalescat, ægrum, nisi protinus devinciatur, in præcipiti ponit.

Vulnus quoque etiam si latum sit, dummodo parti carnosæ, externæque tantum inferatur, licet molestum sit, periculo tamen vacuum esse solet: non ita vero est, si basis cerebri, si pulmo medius, si cordis thalamus, si spinæ medulla, si stomachus, si jecinora, si lien, si jejunum, aut latius intestina, aliaque viscera graviter percussa sint; quoniam iis, cum intus sint auxilia opportuna præstare artificis manus non potest.

Eodem modo res se gerit, cum gulæ, aut asperæ arteriæ ductus præcissus est; ita quoque, cum mucro intus penetrans majora vasa in alis, & poplitibus recondita resecat; quoniam vulnera ista haurire hominem profusione sanguinis solent; idque non in alis tantum, ait Celsus, & poplitibus timendum est, sed in omnibus vasis, quæ grandia sint, & quæ ne quidem videri,

quia

quia intus sunt, neque opportune legari, aliove modo consolidari queunt.

Dixi breviter de loco morbi; dicam nunc de causis: & quantum earum accurata cognitio ad recte præsagiendum faciat, paucis demonstrabo.

§. VII.

A causis morbi præsagia desumenda.

Causas quoque morbi cognoscere interest; tum ut opportunis auxiliis ipsi occurratur; tum etiam, quod rei nostræ proprius modo est, quo facilius de ejus exitu & judicare, & præfari Medicus valeat. Sed non in minimis causarum differentiis, quas schola ad disputandum potius, quam ad detegendam veritatem invexit, sapienti inhærendum est: re, non verbis; utilitatis, non vanæ ostentationis gratia morborum causæ demonstrandæ sunt, & experientia magis, veroque rerum eventu, quam solo mentis acumine, ipsæ quærendæ, & inveniendæ. Itaque in quocumque morbi genere, postquam Medicus attento examine discusserit veras, patentes, atque legitimas mali causas, easque ex genuino fonte deduxerit, tamquam certum, constansque statuere debet.

I. Quod causæ morbi, quo magis multiplices

sunt,

sunt, hoc gravior morbus esse solet: impetus enim in omnibus rebus, constanti naturæ lege, semper major est, quo major est numerus impellentium.

II. Quod causæ morbi, quo vehementiores, gravioresque sint, eo magis deteriorem eventum minantur: nequit enim natura hominis, neque ars Esculapii docet, quod nimis violentum est, aut diu ferre; aut citius, ut esset in votis, vincere, & superare.

III. Quo magis ignotæ ipsæ causæ sint, hoc magis dubiam spem faciunt: hæret enim in ancipiti Medicus & quo se vertat, ignorat.

IV. Quæ contagiosæ suis notis dignoscuntur, vitæ periculum semper involvunt: miasmata enim contagiosa cum subtilissima, & agilissima sint, intra humanum corpus, vel per respirationis organum, vel per cutim, & spiramenta, vel vehiculo salivæ facile transmittuntur, ad interioraque penetrant, neque ab iis recedunt, quin totam sanguinis indolem turbent, corrumpant, & destruant.

V. Quæ venenatæ tandem se manifestant, promptum exitium portendunt: venenum enim talis indolis esse solet, ut citius mortem afferat, quam Medicus ægro auxilium præstet; vel adeo subdole agit, ut sæpe Medici, & ægri spem deludat.

VI. Quæ

VI. Quæ a sanguine infecto, & depravato oriuntur, magis terrificæ sunt, quam quæ a sola copia proficiscuntur: hanc enim imminuere facile possumus, illum emendare non possumus.

VII. Quæ a bile vel flava, vel atra principium habent magis pertimescendæ sunt, quam quæ a sanguine; istæque multo magis, quam quæ a sola lympha, humoribusque mucosis gignuntur; nam licet morbi ab iis geniti, reliquis diuturniores sint, longitudinem tamen securitate compensant: nam in longis morbis, & locus medicinæ, & deliberationi est; non ita vero in iis, qui celeriter terminantur.

VIII. Quo plures concurrunt causæ diversi generis, tanto morbus periculosior evadit; quod enim uni causæ adjumento, alteri detrimento est; itaque morbus non nisi ægre sanatur, aut plane insanabilis fit.

Quid tandem? longum esset in percensendis singulis morborum causis immorari; adeo multiplices, variæque esse possunt. Et cum satis notæ esse debeant vel Medicinæ tirocinium facientibus, illarum differentias, & multiplices varietates modo exponere minime necessarium ducimus: existimamus vero non superfluum esse, si in morborum symptomatibus exponendis paulo amplius immoremur; cum ad recte præsagiendum maxime conducat. Sed antequam de unoquoque

que singulatim agamus, nonnulla de ipsis generatim prius animadvertere volumus.

§. VIII.

A symptomatibus in genere præsagia desumenda.

Signorum doctrina; distinctaque cognitio; quantum Medicis necessaria sit ad curationem de morbis recte instituendam, & de ipsis recte prædicendum, nullus est, cui lateat, cum satis id ratio demonstret, experientia rerum eventu confirmet, sapienterque ut omnia Parens Medicinæ Hippocrates doceat. Ne ergo tempus teramus in iis vel commendandis, vel tradendis præsertim cum de ipsis copiose quidem Medici omnes in Semiotica agant; aliqua saltem, quæ nostro scopo non inutilia videntur, libare nobis liceat. Et primo; quod symptomatum nomine non solum intelligimus signa, quæ morbos constituunt, unumque ab alio distinguunt, sed etiam accidentia multa, sive phænomena, quæ in ipsis morbis frequenter oriri solent, ex. gr. facies, quæ Hippocratica dicitur, morbi naturam non ostendit, ostendit

vero

vero in extremo vitæ discrimine ægrum versari, fereque jam conclamatum esse.

Secundo: quod syptomatum nomine non solum comprehendimus signa ea, quæ plerumque morbos comitari solent, sed etiam naturæ molimina, quæ ab ea utpote activa, & operativa morborum curatrice non raro excitantur; ut plerumque sunt alienati rerum ingerendarum appetitus, & aversiones, motus spasmodici, & convulsivi, exanthemata, abscessus, hæmorragiæ, vomitus, alvi profluvia, sudores, aliaque hujusmodi, quæ morbos modo comitantur, modo ipsis superveniunt, quin eorum naturam constituant, aut præsentiam necessario ostendant: multaque ex istis conatus sunt, sive certamina naturæ propriam salutem propugnantis.

Tertio; Quod quidquid in symptomatis, cujusvis generis ea sint, se manifestat, id omne ad naturæ vires, vel robustas, vel exuperantes, vel deficientes reduci potest, ut prudentis Medici sit; singulas attente considerare, atque æqua lance perpendere; & non minus de deficientibus, quam de exuperantibus prudenter timere: si enim natura, quæ nimis imbecillis, viribusque effæta est, magnum salutis opus perficere non potest; ita quoque, quæ effrænis est, magnosque impetus habet, semper plurimum detrimenti, raro salutem præstare

solet,

solet; est enim moderamen; suntque justi, & determinati fines in rebus naturæ, ultra quos progredi non licet, neque citra rectum invenitur.

Quarto: quod eadem symptomata salutem, & mortem, ipsamque morbi indolem, & naturam indicare possunt, a modo videlicet, loco, & tempore, aliisque diversis circumstantiis, quibus contemplanda se præbent; Si enim symptomata a principio morbum comitentur, nihil boni, nec mali indicant, sed tantum morbi naturam detegunt: Sic in peripneumonia difficilis respiratio a principio apparens sedem morbi, & naturam, non malignitatem manifestat.

Quinto: symptomata contra, quæ in morbi augmento, maximoque vigore illucent, malo indicio protinus sunt; vim enim morbi, magnitudinem, & malitiam indicant; itaque si non mortem, grave certo vitæ periculum adnuntiant.

Sexto: Symptomata, quæ in recessu morbi, sive declinationis tempore insurgunt, si cum signis coctionis appareant, bona, faustaque haberi debent, quia naturam morbo validiorem esse indicant, eamque fortiter in illum agere, & materiæ morbificæ evacuationem per loca debita accelerare; itaque salutem, licet gravia sint, non mortem prænuntiant. Si vero sine apparentibus coctionis signis, & cum virium ægri destitutione illuceant, si gravia sint,

immi-

imminens exitium, si levia morbi saltem longitudinem indicant.

Hæc porro de symptomatibus accurata distinctio Medicis apprime necessaria est, ut perniciosa distinguant a salutaribus; inexpertus enim, & parum in arte versatus, terretur statim, ac gravia symptomata videt, quamvis ea opportune insurgant, tempore videlicet coctionis, & cum natura morbo multo validior sit, ac metu perculsus putat esse signa mortis eas perturbationes, quæ revera crisim, salutemque pollicentur; unde omnia metu, & mœstitia complet, & quotquot sunt pharmaca, peregrinaque auxilia experitur, sæpeque ægro dum eum lævare tentat, crisim, motusque naturæ impediendo, nocet, illumque pessundat: Peritus vero, & expertus Medicus, gaudet, sperat, & quiescit, paucissimisque remediis utitur, quod licet symptomata, quæ superveniunt, ex natura sua gravissima esse videat; quia tamen tempore opportuno illucent, cum signis videlicet coctionis, & validis naturæ viribus ea fausta, feliciaque esse dijudicat; ex ægrique maxima perturbatione maximum solatium, certam videlicet, & quodammodo præsentaneam sanationem adnuntiat. Et hoc sapienter præsagire est, cum videlicet ex signis depravatis, symptomatibusque terrorem incutientibus fausti, felicesque eventus reserantur.

Quibus

Quibus jam diebus crises eveniant, statuere; res porro mihi hujus loci minime aliena videbatur; sed de ea inquirire libenter supersedeo, & propter non levem rei difficultatem, & propter scissa in partes non vulgarium Medicorum judicia: hoc tantum ingenue mihi fatendum esse censeo, quod nostris iis temporibus nec eas crises, nec eos dies criticos, aut decretorios observamus, quos in Græcia Hippocratem, Romæ Galenum, & in Hispania Solanum observasse, apud omnes gentes vulgaris fama est. Hoc etiam nostris iis temporibus, nostrisque regionibus proprium esse video, morbos acutos sensim sine sensu potius evanescere, quam extemplo terminari; multosque eorum, satius per partiales, quam per integram crisim desinere, omninoque exsolvi. Quæ autem sunt tanti discriminis causæ? An dierum criticorum incertitudo? An regionum, climatumque varietas? An mutata in hominibus corporum constitutio? An varia, aut præpostera medendi methodus? An nova inventa remedia? An parva de iis diebus Medicorum sollicitudo? An eorumdem nimis operosa sedulitas? An denique vana antiquitatis doctrina? Possunt certe multæ ex iis conferre; quæ autem maxime, nostri non est decidere. In tanta ergo rerum, & opinionum varieta-

te,

te, non rationem, sed experientiam prudentes Medici inquirere: non systemata in cathedris accurate concinnata, sed observationes in nosocomiis, & ægrotantium lectis fideliter institutas sequi debent. Nonnulla tamen, quæ de Crisi a Medicis tanquam axiomata, primaque principia statuuntur, memoriæ saltem revocanda existimo, quæ porro bene intellecta magnam partem Hippocraticæ scientiæ constituunt. Et

I. Quod mutatio subita morbi vel in sanitatem, vel in mortem crisis appellatur; illa salutaris, hæc perniciosa dicitur.

II. Quod evacuationes, seu perturbationes subitaneæ, quæ hoc in tempore accidunt non crisis, sed criticæ dicendæ sunt; excitantur enim a natura morbo colluctante, ut vi vitæ superstite, eum tandem penitus devincat, aut saltem frangat, & imminuat.

III. Quod evacuationes istæ, sive perturbationes subitaneæ salutem promittunt; si fiant constantibus naturæ viribus; si accedant prægressis signis coctionibus; si quæ evacuari debent, opportunis loco, via, & tempore evacuentur; si ægro vires restituant, levamenque constans afferant.

IV. Si vero effœta natura est, viribusque destituta. si crudo morbo perturbationes istæ il-

luceant; si quæ per eas evacuari debent, aut minime, aut parum, aut inepte, præposteroque modo evacuentur; si denique noceant, non levamen ægrotanti afferant; si augeant, non minuant morbum, perniciem certo minantur; illæ enim perturbationes signa sunt naturæ superantis, & quodammodo tryumphantis; istæ vero naturæ devictæ; illæ ægrum in vado ponunt, ad portumque deducunt; istæ occidunt, aut in lubrico constitunt

Quibus animadversis, & per transennam. ut ita dicam, tantummodo consideratis; jam de singulis symptomatibus ita agam, ut quid, & quantum ex unoquoque aut timendum sit, aut sperandum, sub suis titulis, & capitulis, cum opus exigat, facile inveniatur, Multa in hunc censum veniunt; sed a calore incipiens, qui inter symptomata omnia & communior, & vehementior esse solet, perpetua hac serie agere progrediar. A frigore; a rigore, & horrore; a nimia sensibilitate; ab insensibilitate; a doloribus; a spasmis, & convulsionibus; a respiratione; ab anxietate; a decubitu ægrotantis; ab alvi profluviis; ab urinis; a sudoribus; ab iis, quæ per vomitum rejiciuntur; ab iis, quæ per sputum excernuntur: ab hæmoragiis; a sanguine per venam detracto; a sensuum internorum perturbatione; a sen-

sensuum externorum defectu; a somno, & insomniis; a vigiliis; a lingua, dentibus, & faucibus; ab hypochondriis, & abdomine; a cutis vitiis; ab oculis; a facie ægrotantis; a pulsu; tandemque a febre, quæ cum omni sexui, & ætati communis sit, & omnis fere morbi, sive in principio, sive in augmento, sive saltem in fine tamquam comes individuus habeatur, diligentiori quoque cura contemplari, perpendique meretur. Quibus in exponendis si crambem aliquando iterum apponam, multaque ingeminem, non prorsus inutile videri debet; satius enim duco his, quæ superflua videntur, sæpius hærere, quam vel semel prætermittere, quod in re adeo obscura, & tantæ utilitatis perspicuitatem ostendat.

§. IX.

A calore præsagia petenda.

Inter symptomata multa, quæ morbos comitari solent, cum calor præternaturalis omnium primus, & præcipuus sit, præsagia vitæ, & mortis in ægrotantibus ab eo suscipere non immerito proposuimus.

Calor præternaturalis in aucto ductuum mo-

cu consistere videtur; id manifestum esse claro demonstrant, arteriarum validior, frequentiorque pulsatio, faciei color rubicundior, potus immoderata cupido, cutis universæ siccitas, aliaque hujusmodi, quæ calorem immoderatum comitantur; & quæ a solo vasorum motu, sanguinem inusitata quadam celeritate propellente deduci facile possunt.

Calor omnis præternaturalis diu, multumque durans, individuus comes febris est, & licet semper malus sit, quia nulla febris sine periculo est, nihilominus non semper idem minatur, neque pari modo terrere nos debet.

Calor mitis, & mollis, per universas corporis partes æqualiter diffusus, qui bene valentium calori non multum dissimilis sit, testimonio Hippocratis, bonus est.

Calor vero nimis auctus, cum pulsu forti, siti, & facie rubicunda inflammatorias; cum pulsu debili, virium imbecillitate, nausea, & vultu pallido putridas febres comitatur: ille incendium, iste sensum acris stimuli in explorantis pulsum manu excitat: uterque mali ominis est; sed putridus ardente pejor est.

Calor, qui per vices cum frigore accedit, & cum sudore recedit, non malus est; prius

prius enim esse solet febrium intermittentium; quæ omnium tutissimæ sunt.

Calor, qui repente supervenit, atque ictu temporis emicat, incendiumque facit, sed sine siti, & sine pulsus vehementiori motu, minime terrere nos debet, præsertim si urina instar aquæ e rupe salientis clara, limpidaque simul fluit; nam ignis, qui calorem movet, fatuus est, propriusque feminarum est, quæ hysterica passione laborant; nec non est hominum, qui hypocondriaco accessu affecti sunt.

Calor, qui diu multumque durat, atque in volis manuum, plantisque pedum sedem præcipue habet; & sitim excitat, genasque purpureo colore tingit, præsertim post assumptum cibum, mali ominis, certique excitii index est; febrim enim hecticam, sive habitualem comitatur, quæ ægrum sensim consumens, e vivis tandem tollit. Si ex calore frigus, & calor ex frigore subinde oriatur; aut convulsio in promptu est, aut morbi longitudo timeri debet.

Calor, qui interiora adurit, dum externa corporis superficies instar marmoris frigida est, cum gravi inflammatione viscera laborent, in promptu exitium minatur.

Calor æstuans circa ventrem, & præcordia, dum manus, & pedes frigidi, algidique sunt,

mali ominis est, jam enim spiritum vitalem in extremis partibus extinctum esse denotat, dum vorax ignis interna, nobilioraque viscera adurit, donec consumat, & destruat. Ubi calor maximus est, ibi morbi sedes est; ut in loco, ubi inflammatio adest, observatur, qui reliquis corporis partibus multo semper calidior est.

Si corpus valido calore affectum fortiter convellatur; exitium prænunciat; semper enim ab æstibus fortes convulsiones ortas lethales evasisse observavit Hippocrates.

Nimius faciei calor solet *delirium* præcedere; & nimius ventris, & hypocondriorum æstus inflammationem in præcordiis; visceribusque comitari: quod utrumque discrimine plenum est.

Corpus intus calidum repente refrigerari cum virium destitutione perniciosum est: contra salutare si gravi frigore affectum paulatim incalescat, viresque insurgant: in illo enim flamma vitalis extingui; in hoc reviviscere videtur.

Tandem scire oportet, calorem inflammatorium cum vita extingui; putridum vero etiam ad tumulum cadavera insequi: inde optime meritoque jure nonnulli sapientes in ea opinione sunt, calorem inflammatorium in solo aucto vasorum motu; putridum vero etiam in motu

in-

intestino particularum sanguinis insensibilium ponendum esse. Sed uterque sive in uno, sive in alio ponatur; cum moderatus sit; humores concoquit; attenuat & digerit; unde salutaris fit; cum ingens est; modumque excedit; lethali eventu esse solet; solida enim humani corporis siccat, atterit, distendit; & exedit; atque disrumpit; fluida vero turbat; exhalat; dissolvit, acria reddit, vitiat; atque vel in putridas dissolutiones; vel in concretiones inflammatorias adigit: inde patet qnanta diligentia hoc symptoma perpendendum sit in acutis, ut funesti eventus, qui ex eo oriri solent, prævideri, & opportunis artis auxiliis possint præcaveri.

§ X.

Præsagia a frigore.

Jam a calore, modo a frigore præsagia desumamus; quæ ut rectius accipi possint, prius frigoris naturam; & effectus breviter indicabimus.

Frigus a spasmodica vasorum angustia ortum ducere pro comperto est: id enim satis demonstrare videntur repentinus vultus pallor; totius cutis contractio, & corrugatio; fonticulorum, aliorumque ulcerum exsiccatio; unguium, extremi-

tatumque livor; urina, quæ tunc redditur, exigua, frequens, limpida; sitis, anxietas, sensus ponderis in ventriculo, aliaque hujusmodi, quæ frigus modo præcedunt, modo comitantur; quæque a sola spasmodica vasorum angustia deduci, & explicari æque facile, quam recte possunt: hinc clare patet, quid frigus designet in acutis, quid ostendat.

Frigus, quod acutas febres præcedit, sive continuæ putridæ sint, sive inflammatoriæ, mali ominis semper est, indicat enim causis febrim excitantibus magnam adesse malignitatem; pejoris ominis est, si in augmento febrium incidat, magnam enim copiam materiæ peccantis denotat, quæ aut ægrum certo interimet, aut eum in longum morbum protrahet: pessimi tandem esse solet, quod in fine, morbique recessu apparet, præsertim si jam vires fractæ sint, aliaque symptomata perniciosa illud comitentur.

Tutissimum contra frigus est, quod febres præcedit, quæ quoquo modo intermittunt: potest vero esse perniciosum in tertianis mali moris, si iis divino Peruvii cortice prompte non succurratur; aut in ægris jam longa ætate confectis; fit enim aliquando, ut sanguis, dum ab angustia sanguinis ductuum versus centrum compellitur, ob deperditas ætate vires, nequeat

in

in girum duci ; itaque cor ipsum insolito pondere oppressum moveri desinit, & interit.

In magno ventris dolore, stomachi videlicet, coli, aut intestinorum, si extremæ corporis partes ingenti frigore afficiantur, malum est, a venenosa enim materie intus latente, viscera depascente, horumque præcipua ufficia funditus fere delente, calorem extingui denotat.

Malum quoque est, si deliramentis, aut convulsionibus frigus superveniat; vitalem enim ignem a vi morbi jam suffocari; solidarumque partium animatas oscillationes omnino aboleri denuntiat.

Malum pariter, si post largam, & immodicam evacuationem, sive sponte, sive artefactam, frigus adeo extrema occupet, ut ad calorem, vel opportunis adhibitis auxiliis, minime revocentur: ut in Philisco observavit Hippocrates, qui extremitatibus non recalescentibus perit.

Si extrema frigida sint in acutis, simulque rigida, & livida, jam ægri in extremis laborare solent; partes enim istæ vel jam mortuæ, vel proximæ morti sunt: pariter præ foribus mortem esse testandum est, si cum summo frigore, totum corpus sudore liquescat: neque periculum leve est, si frigus præcedat, vel subsequantur

eva-

evacuationes aspersæ, alienæque indolis, ut parvæ guttæ sanguinis e naribus; urinæ turbidæ, & livescentes; vomitus virulenti; dejectiones nigræ, parvæ, fætidæ; & nihil conferentes; aliaque hujusmodi.

Gravissimi quoque, & imminentis periculi nota est, si magno frigori superveniat aliquod signum funestum, & perniciosum; ut delirium, convulsio, tremor; cæcitas; surditas, coma, oblivio, aut si quid hujus generis sit, ut in Sileno morti jam proximo ipse Hippocrates observavit. Et ratio omnium est, quia ex iis, similibusque notis liquido apparet; gravi, & periculoso morbo ægros laborare; cui vel coercendo, vel superando impares omnino sunt vires naturæ, omniaque artis molimina.

Qui totum corpus algidum habent, dum interno vehementi calore uruntur, cito ad interitum tendunt; gravissima enim viscerum inflammatione laborant.

Tabidi, & hydropici jam proximi morti sunt, si totum corpus adeo frigidum ipsis sit, nullis ut auxiliis, ad calorem revocari possit.

Frigoris sensu in capitis vertice si feminæ corripiantur, hysterica passione; sine vitæ periculo diu laborare solent; si vero senes ita afficiantur, præsertim in frigidis regionibus, post suavem

vem soporem ; e vivis ; cerebro quodammodo congelato, recedunt.

Tandem si extremæ partes frigescant in vulneratis, graviterve percussis, deinde tremor oriatur, manus nulla de causa extendantur; tandemque in fronte sudor pariter frigidus appareat; mors jam in proximo est: quippe hæc fieri non solent, nisi a nimia sanguinis profusione, vel a viscere aliquo usui vitæ maxime necessario male affecto, graviterque percusso.

§. XI.

Præsagia a rigore, & horrore.

AD prognosim quoque facit sensus rigoris, & horroris, qui acutos morbos excipit: videamus ergo quid uterque sit; ut rectius ex unoquoque præsagia sumamus.

Inter rigorem, & horrorem parum discriminis esse videtur, multa enim ipsis communia sunt: uterque per vices decurrit; & modo valida, modo leviori fibrarum concussione; frigorisque sensu corpus offendit; modo cum febre est; modo ea caret; modo ipsam præcedit; modo subsequitur, & non raro in ipso morbi incremento, atque inclinatione supervenit: in horrore vero

sola

sola cutis, in rigore totum corpus affici, & contremiscere videtur; itaque merito aliqui horrorem, parvum rigorem nominarunt; multosque apud Medicos idem usus verborum est, cum sæpe videant horrorem paulatim crescere, donec in rigorem abeat. A simillimis quoque causis uterque ortum ducit, & fere similia in acutis ostendit: itaque quæ modo de uno dicemus, de alio quoque & dici, & intelligi debent; adeo ut a sola intensitate symptomatis, vocum, non morbi, neque præsagii discrimen percipiatur.

Rigoris porro non minus, quam horroris sensus indicat aliquid hostile, vitæque adversum, vel revera corpori inesse, vel animo saltem ita repræsentari: videmus enim homines modo rigore, modo horrore corripi, non solum ab aliqua acri, biliosa, aut venenâta materie, quæ in sanguine latitet, aut in stomacho, & intestinis niduletur, eaque stimulet ad excretionem; sed etiam a solo terrore, nec non ab alicujus rei sensibus ingratæ aspectu, solave recordatione; itaque systema nerveum in utroque affectum esse clare patet.

Si rigor, aut horror periodicus sit, ita ut alternis diebus redeat, periculo alienus est, solet enim febres. quæ intermittunt comitari, easque sæpe loco frigoris præcedere, quæ omnium por-

porro tutissimæ sunt; si vero initio febris continuæ, sive ea putrida, sive inflammatoria sit, appareat, malo indicio est: ostendit enim magnam adesse materiæ peccantis copiam, quæ a viribus naturæ difficile vinci potest.

Si rigor febri acutæ superveniat, deinde calor; tandem sudor copiosus subsequatur, febrem, aut tollit omnino, aut plurimum imminuit: ut in uxore Epicratis, & Larissa virgine observavit Hippocrates.

Si acute ægrotanti rigor superveniat, febrisque nec desit, nec minuatur; æger ut plurimum, interit: si minus; morbus in longum certe producitur.

Rigor bene præsagit, si ab eo sequatur aliqua evacuatio sensibilis cum levamine ægrotantis, viriumque restitutione; indicat enim motum naturæ salutarem esse, materiemque sanitati adversam jam e corpore expulsam esse.

Si vero post aliquam evacuationem rigor, aut horror superveniat, æger in vitæ discrimine versabitur; nam non levi est argumento, irritos fuisse naturæ conatus, materiemque peccantem minime expulsam fuisse.

A rigore, vel horrore corpus plurimum incalescere bonum est; parum vero, malum: quoniam

unum

unum naturam validam, atque robustam; alterum debilem, atque prælanguidam ostendit.

Si rigor incidat, febri non deficiente, ægro jam debili, perniciosum est: perniciem quoque minatur, si post eum sequatur extremitatum refrigeratio; cum utrumque summam naturæ imbecillitatem denuntiet.

Rigor bonus est, si febris quæ lenta, aut habitualis erat, post eum intermittere incipiat; quoniam ita facilius poterit, ut ait Celsus, curationem accipere.

Rigor, aut horror malus est, qui purulentos, aut tabidos excipit, refusionem enim puris per vasa sanguifera, quæ semper funesta est, denuntiare videtur.

Malus quoque est, qui delirium, oculorum perversiones, convulsiones, spasmos, aliave mala symptomata, aliquamve malam evacuationem excitat, aut comitatur.

Malus item, qui frequenter recurrit in acutis, irritos enim esse naturæ conatus manifeste declarat.

Rigor, vel horror multus cum febre continua, tussiendi stimulo, & respirandi difficultate pus in pulmonibus confici certo denuntiat; unde tabes subsequi solet.

Rigores multi, aut horrores torporem inducen-

tes, ut funesti semper haberi debent; copiam enim lentescentium, fereque stagnantium humorum præsceferunt, qui gravium morborum fœcunda semper causa sunt.

Ex multa potatione si rigor, & horror, cum desipientia subsequantur, malum; quoniam calor naturalis, copia, & multitudine humorum jam extingui videtur.

Rigor, aut horror alternatim decurrens in feminis utero plenis, cum aliquo lumborum pondere, imique ventris doloribus, abortum proximum esse ostendit.

Rigores tandem, & horrores in hystericis feminis, virisque hypochondriacis frequentes sunt sed nullum ex ipsis grave malum Medici timere solent; quia morbus magis molestus, quam periculosus est.

De rigore, & horrore cum satis pro nostri instituti scopo dictum esse videatur; proximo capitulo de insensibilitate, nimiaque ægrorum sensibilitate dicendum.

§. XII.

A nimia ægrorum sensibilitate præsagia.

Natura sensibus corpus sepsit nostrum, atque munivit, ut eorum usu blande frueretur; & voluptatem in rebus, atque blanditias, non fastidium, non nocumentum sentiret: Si vero rerum externarum impressiones etsi blandæ, & consuetæ sint, molestiam tamen, atque insolitum sensum, & ingratum per totum corpus recurrentem inferant, tunc nimia sensibilitas præterque naturæ ordinem, in corpore est: quod symptoma, cum ægros adoritur, funesti ominis non immerito habetur.

Hac de causa funestum existimatur, si vel modica lux oculos, non ex alio morbo affectos, ita offendat, ut ipsam effugiant, & aversentur: si a levi strepitu ægri excitentur, tremant, & inhorrescant; si modicus motus, magnum metum excitet, & perturbationem; denique si quid aliud quod nulla irritandi systema nervosum vi præditum est, ægrum insigni quadam ratione ita afficiat, ut corpore, menteque turbet: & ratio funesti ominis est, quia nequit diu esse corpus in tanta nervorum tensione, tantaque sensibilitate,

quin

quin tandem non convellatur, vel vehementi deliratione afficiatur.

Neque solum nimia sensibilitas funesta in acutis est; ipsa etiam aliquando cum periculo morbum constituit, ut in hystericis, hypocondriacis, & hydrophobis observare aliquando datum fuit. Quid enim suavius rosæ odore sensibus nostris, olfactuique offerri potest? is nihilominus nonnullas feminas in vitæ pericula sæpe constituit. Quid aqua gratius oculis, palatoque suavius? tamen a cane rabido morsi, ejus aspectu, imo sæpe vel sola recordatione in lethales convulsiones incidunt; & cum nihil magis, quam siti conflictentur, nihil æque magis, quam aquæ aspectum reformidant, & aversantur. Si vero tanta in ægris mala nimia sensibilitas excitat, majora profecto ex nimia insensibilitate timenda sunt.

§. XIII.

A nimia ægrorum insensibilitate præsagia.

Si nimia sensibilitas malo indicio est, ut nuper exposuimus, tum in acutis, tum in chronicis affectionibus; pejor est, nimia in quibuscumque morbis corporis insensibilitas: illa enim systematis nervosi nimis auctas, vividasque functio-

nes esse; ista, vel impeditas, vel imminutas, vel omnino deperditas ostendit; in illa ægri nimio spiritu agitantur, totoque corpore oscillant; in ista sine viribus jacent, & tamquam exanimes sunt; ipsaque mens a frigidis, crassis, lentis, viscidisque humoribus ita obscuratur, ut aqua luto, ait Alpinus, & aer purissimus nubibus obscurari solet.

Insensibilitas magis, vel minus perniciosa est, prout magis, vel minus per corpus diffunditur; prout longius, aut brevius in spatium protrahitur; prout nobiliores, aut minus nobiles partes offendit.

Primus insensibilitatis gradus torpor vel manuum, vel pedum est, qui si diu, longeque durat, accedente vertigine, aurium tinnitu, levique surditate impendentis apoplexiæ prodromus est.

Ipse torpor in febribus acutis, & corporis, & mentis perniciosus est, cum vel a cerebro humorum copia oppresso, vel a retardato, & impedito spirituum animalium motu, vel a debili fibræ oscillantis vi, oriatur.

Alter gradus insensibilitatis coma est, in qua æger profundo somno sine febre ita indulget, ut excitatus respondeat, sed iterum ad somnum repente delabatur, demissaque inferiori mandibu-

la

la obdormiscit; gravis quidem hæc insensibilitas est; sed gravior erit, si ad somni proclivitatem & febris, & vigilia accedant; aut si homo alto sopore captus vigilantis instar agat, & vociferetur, & inconcinna loquatur; nam mens, sensusque omnes sopitam omnem actionem in magno spirituum tumultu, & concitatione habere videntur.

Si vero adeo insensibilitas grandis fiat, ut lethargo, sive inexpugnabili dormiendi necessitate æger corripiatur, cum dementia, eaque rerum omnium oblivione, ut si mejendi causa matulam petat, manibusque teneat, mejendi obliviscatur; talisque sensuum torpor, aliquando accedat, ut vel avulsis capillis non doleat, vel alta voce compellatus vix respondeat, sed totus stupore oppressus, veluti truncus jaceat, & dormitet; talis porro insensibilitas funestissima est; & cum parum in tempore succurritur, prompte interficit: vix enim gradu a nervorum resolutione, quam apoplexiam jam dicimus, distat.

Insensibilitatum omnium maxima, apoplexia fortis est, morbus curatu fere impossibilis, qui ægros ut plurimum instar fulminis inopinanter percutit, brevique, ablato omni mentis, & corporis sensu stertentes, & alto somno oppressos e vivis tollit: & si nonnulli fortasse evadunt,

eos paralysis, sive resolutio alicujus corporis partis, vitaque miserrima excipit.

Est quoque altera insensibilitatis species, quam catalepsim Græci dicunt, Latini autem detentionem interprætantur; rarissimus quidem morbus, sed acutissimus est, & qui eo abripitur, rigidus instar statuæ manet, atque in eodem situ, sive sedat, sive cubet, quo deprehenditur, detinetur; neque audit, neque videt, neque, nisi compulsus, movetur; stupidus tandem, atque quodammodo frigidus, & congelatus e vivis recedit.

Etiam qui epilepsia corripitur, licet membra, artusque omnes quaquaversum moveat, violentaque convulsione distendat, insensibilitate maxima laborat; nam sæpe, sine usu sensuum subito concidit, spumæ ex ore moventur, sæpeque etiam stercus, semen, & urina in ipsa accessione præter arbitrium ejicitur; convellitur tandem æger, sed interposito spatio, velut a somno gravi discutitur, stupidusque consurgit: morbus vita hominem non privat, sed frequenter rediens privat eum vitæ dulcedine.

Quid tandem? *hystericæ feminæ* tanta aliquando insensibilitate laborant, ut per plures dies sine ullo sensus indicio exanimes sint, & pro mortuis non raro habeantur; sed interposito tempore ad se redeunt,

deunt, , & sine gravi corporis detrimento resurgunt, ad consuetaque munia se referunt.

Temulenti quoque, vinoque madidi, dum alto somno capiuntur, sensuum stupore, totiusque corporis insensibilitate laborant; qui si intra spatium, quo crapulæ solvi solent, ad linguæ, sensuumque usum non redeant, vita periclitantur.

Sed in iis, simillimisque insensibilitatis affectionibus, cum gravi timore aliqua est salutis spes; omnino vero deficit, Hippocratis oraculo, si graviter ægrotantes, viribus jam exsolutis, neque videant, neque audiant, neque sentiant: sed de iis fusius, cum de præsagiis a sensuum abolitione sermonem instituemus.

§. XIV.

A doloribus præsagia.

Dolor quoque in ægrotantibus multa & agit, & certo indicio est; fereque omnibus morbis sese immiscet: sed cum sensibilitate nimia, de qua egimus, minime confundendus est; ea enim in toto corpore molestiam excitat; dolor vero partes singulatim afficit: illa vel a blandis, consuetisque rebus suscitatur; iste non nisi ab

 in-

ingratis, inconsuetis, vimque & injuriam corpori quodammodo inferentibus gignitur.

Doloris causa nulla alia verisimilior esse videtur, quam fibræ sensibilis; & animatæ quædam præternaturalis tensio, atque distractio; quæ sensum nimium excitans; ope fluidi nervei, agilissimi; sensibusque nostris fere imperceptibilis; mentem monet, corpori inesse materiem hostilem; ipsique infestam; quam effugere, & debellare; ne vita; dulceque commercium inter animam, & corpus pereat, oportet.

Dolor aliquis ut plurimum omnes morbos comitatur, & eorum indolem; atque naturam si non detegit, sedem certe ostendit: quare non immerito in proverbio est „ *ubi dolor; ibi morbus* „

Quo magis dolor corpus offendit, eo magis ægrum in vitæ discrimine ponit, si prompte non succurratur: nequit enim vehemens esse dolor, quin in mente anxietatem; laborem, pervigilium, vitæque tædium non gignat; in corpore autem solidorum oscillationes violentæ, tremulæ vibrationes; tensiones; spasmi, humorum acrium affluxus; congestiones; abscessus; gangrænæ; & sphaceli ex eo facile sequuntur. Tot malorum causa dolor est, sed cum diversa esse possit ejus sedes; diversusque gradus; & inten-

tio;

tio, diversa quoque ex ipso prognosis desumi potest; ut jam ostendere incipiam.

Dolor, qui extimas tantum corporis partes cruciat, & sine febre offendit; licet gravissimus, molestissimusque sit; vix umquam vero periculosus est; ut in podagra, arthritide, acerbisque dentium doloribus quotidie observatur: Qui vero internas corporis partes afficit, licet gravis molestiæ vacuus sit, periculi tamen plenus est, ut in pleuræ, pulmonum, hepatisque inflammationibus accidit: magis periculosus est, qui mentem lædit; nec non qui convulsiones, spasmos frigidosque sudores agit, ut in stomachi, vesicæ, acerbisque coli doloribus quotidiana experientia demonstrat.

Si dolor aliquis vehemens, atque molestus nulla de causa defecerit, sine ulla videlicet sensibili corporis evacuatione, & præter ægri levamen, malo omine est: indicat enim curriculum vitæ ibidem omnino oppressum esse, sensumque omnem abolitum; si vero, post aliquam sensibilem evacuationem dolor omnino recedat, vel a violentia sua plurimum remittat, ægerque levetur, bono omine est: indicat enim materiem peccantem, corporique infestam, vel dissipatam, vel expulsam jam esse.

Dolores circa coxas, & inferiores partes orti,

si ad viscera, præcordiave transierint, mortem subesse testantur, præsertim si alia quoque mala signa accesserint: contrarium vero sperandum est, si, qui intus sunt, ad extra venerint; transit enim morbus, vique naturæ transfertur a nobilioribus ad partes minus nobiles, usuique vitæ minus necessarias.

Qui causam doloris habent, neque eum sentiunt, aut pars sphacelo afficitur, aut ipsi mente laborant, ut multo ante docuit Hippocrates.

Quibus aliqua in parte dolor acutus est, cum rubore, calore, pulsatione, sensuque pungentis aculei aliquando recurrente, ibi pus conficitur.

Si instante crisi, cum coctionis signis, dolores contingant ex turgescentia humorum, non adeo pertimescendi sunt, nam facta crisi recedunt: qui vero sine ulla crisis spe, sed cum aliis signis perniciosis magis, & magis urgeant, timore pleni sunt, præsertim si internæ, nobilesque corporis partes simul affectæ sint, quoniam in iis aliquid cum vitæ discrimine ad suppurationem tendit.

In acutis febribus circa viscera acuti dolores, malum; teste Hippocrate: quoniam magnam internam inflammationem ostendunt, quæ semper periculosa est, quod facile in pus verti, corrumpique solet.

Fauces

Fauces dolentes absque tumore, voce oppressæ; strangulantesque perniciosæ admodum sunt; quoniam, ut ait Galenus, gravissima inflammatione laborant, quæ in profundioribus laryngis musculis, aut in asperæ arteriæ ductu, qui oculis non patet, posita est.

Si vesica magno dolore ab urina detenta, simulque acuta febre laborat, facile ægrum interimit: vel enim nimis aucta mole distrumpitur, vel inflammatur, & facile gangrenescit.

Si aures dolore acuto, febrique ardente vexentur, perniciosum est; delirium enim, & convulsiones lethales ex ipso subsequuntur.

Si dolores ad humeros, & ad scapulam pleuritide laborantibus superveniant, morbum critice solvi denotant: nullumque, vel gravissime decumbentem, cui id accideret, mortuum se vidisse testatur Quarin: Trillerusque jam apposite animadverterat, omnem pleuritidem sine vitæ periculo esse, si dolor lateris punctorius ad claviculas distendatur

Dolor capitis, qui continenter cruciat, & somnum tollit, malus est; si vero ei accedat vomitus æruginosus, insania; si convulsio, aut subversio oculorum, exitium in promptu est.

Si capitis dolori vertigo accedat, sonitusque aurium sine febre, manuumque torpor, imminere atto-

attonitum morbum, præsagire possumus.

Si in gravi, veterique capitis dolore, aut pus, aut aqua, aut sanguis e naribus, auribus, vel faucibus effluat; morbus solvitur.

Dolor capitis; qui post casum; ictum, aut gravem percussionem diu, longeque durat, malus: cum enim vitium intus lateat; quod facile in pus verti potest, exitium minatur.

Tandem; ut multa paucis de doloribus dicam, statuendum existimo: omnes dolores acutos, assiduos, & vehementes, qui cum febre acuta aliquam partem præstantem, & nobilem, usuique vitæ necessariam; caput scilicet, pectus, ventrem, fauces, aures, vesicam afficiant, & cruciant; omnes sane exitium inferre, præsertimque si a principio morbi steterint; quod si decursu insurgant, pejora denuntiant, novum enim morbum veteri superaddi signum est; qui naturam jam debilem, graviterque vexatam inveniens, facile prosternet, & vincet.

Neque solum si nobiles partes, gravi, & acri doloris sensu vexantur, ægri de vita periclitare solent; etiam in doloribus partium ignobilium, nempe manuum, pedum, coxendicis, & digitorum magnum vitæ periculum sæpe recurret; si febris acuta, anxietas, desipientia, convulsio, pustulæ nigræ, aliaque hujusmodi ipsos comitentur:

tentur: ut in Critone, & Larissæ calvo se vidisse testatur Hippocrates, quibus porro dolores pedum, & coxendicis perniciem attulerunt.

§. XV.

A spasmis, & convulsionibus præsagia.

Omnis corporis motus, qui præternaturalis est in morbis, & sine voluntatis arbitrio fit, cum assidentium admirationem moveat, ægrisque non parum terroris faciat, Medici quoque considerationem meretur, ut ex eo præsagia opportuna desumat.

Scire ergo licet, si totum corpus, aut aliqua tantum pars, vel invite moveatur, vel præternaturaliter distendatur, jam vulgo convulsionem dici; sed pro vario intensitatis gradu, quem obtinet, pro diversitate partis, quæ convellitur, pro majori, vel minori spatio, quod durat, proque multiplici symptomatum caterva, quibus stipatur, varium nomen apud Sapientes sortita est, variumque præsagium ostendit.

Convulsionis causas in systemate nervoso Medici quærunt, & a liquoris nervei motu nimia, & inordinata distributione per fibrosos musculorum fasciculos, oriri existimant: ad id non parum

rum concurrente ex Hippocratis oraculo, vel maxima humorum repletione, vel nimia exaninatione, vel aliquo acri, quod nervos pungat; vicesque stimuli agat.

Licet omnis convulsio plena terroris sit, non tamen periculi plena est; convulsio enim levis, brevis; partialis, sine ullo symptomate funesto, & nulla sui crisis commovetur, vel febris subsequatur, vix unquam periculosa est; motus enim videtur naturæ ad morbosæ materiæ expulsionem: quæ vero gravis est, universalis, diu, & pertinaciter durans, & præter omnem criseos spem, maxime si accedant summa virium imbecillitas, aliaque graviora symptomata, periculosissima quidem est; itaque non immerito Hippocrates dixisse videtur „

In acutis febribus, cum gravibus ad viscera doloribus, convulsiones exitium portendunt.

Ubi sanguis multum fluxerit, convulsio superveniens pestifera est.

Ab ileo, & vomitu præsertim nigro, & fœtido, qualem vidit ipse Hippocrates in muliere ad Mendacium forum ægrotante, convulsio lethalis.

In febre acuta post oculorum perversionem, rigor superveniens, mortem proximam esse ostendit.

In

In phrenitide, si convulsiones suscitentur, mors præ foribus est.

Si tremores ex convulsionibus, aut convulsiones ex tremoribus fiant, summe perniciosum est.

A doloribus quoque, et continuis vigiliis quæ suscitantur convulsiones, gravis certe periculi indices sunt.

Post abortum, partumve laboriosum, si convulsiones accedant, de vitæ periculo monent.

Dejectionibus quoque spontaneis, & purgationibus violentis a pharmaco propinato, & copiosis quibuscumque aliis evacuationibus, si convulsio accesserit, vitæ periculum subest.

Convulsiones a vulneribus plerumque lethales sunt; quales in filio Carpati, in quodam magnæ navis guvernatore, & in pulchra Nerei virgine, aliisque in multis se vidisse testatur Hippocrates.

Singultus, qui quoddam quoque est convulsionis genus, licet pertinaciter duret, tamen nullius terroris est, maxime si febris eum non comitatur; si vero cum febre sit, maxime timendus est; gravem enim vel cerebri, vel stomachi, vel diaphragmatis, vel hepatis, vel alicujus nobilis partis inflammationem indicat; ac tum fere lethalis esse solet, si cum morbo acuto magna cum virium destitutione supervenit.

Ab

Ab ileo quoque, & vomitu, præsertim fœtido, & nigro singultus exitialis: idem post citam alvum, sanguinisque profusionem, & post quamcumque gravem inanitionem exitii discrimen est.

Dentium stridor, sive eorum invita collisio, atque concussio in febricitantibus, perniciem ostendit; convulsio enim musculorum utriusque mandibulæ violentissima est.

Si convellantur pudenda, ipsique testes retro agantur cum febre acuta perniciosum est; sine febre vero non ita.

Convulsio illa epileptica dicta, ex qua homines mente privantur, & velut attoniti in terram concidunt, motusque violenter agunt, & multa spuma os impletur, plena quidem terroris, sed non periculi est, ægrosque sæpe interposito spatio fatigans ad senium usque comitari solet.

Non ita vero est convulsio illa tonica, in qua totum corpus riget, ipsaque cervix præsertim ita intenditur, ut flecti non possit; aut versus dorsum ita contrahitur, ut scapulis connecti videatur; aut versus anteriora ita inclinet, ut mentum pectori firmiter inhæreat; hæc enim convulsio cum acutissima sit ægrum intra quatuor dies occidit, quos si evaserit, aliqua spes salutis effulget. Hujus generis convulsiones, in Americæ sæpius,

pius, in Europæ vero regionibus rarius ipse vidi.

Convulsio facilius pueros, & feminas, quam viros, & senes occupat; & viri, & senes facilius, quam pueri, & feminæ in ipsa convulsione pereunt: quod illi, cum systema nervosum robustius habeant, non nisi a magna causa, magnoque morbo convelluntur, cui natura de vincendo sæpe impar est. Convulsio ex inanitione perniciosior est, quam quæ a repletione gignitur; in illa enim, quod deest, difficile restitui; in ista, quod superest, facile a natura expelli, & evacuari solet.

Si convulsiones suscitentur, dum variolæ accedunt, facta eruptione quiescunt; materia enim acris, nervosque irritans ad exteriora deducitur: si vero cum recedunt variolæ, convulsiones accesserint, perniciem minantur materia enim variolosa, a cute ad interiora transfertur.

Quid plura? Multa alia de convulsionibus, & spasmis afferre possem ad præsagiendum indicia, quorum veritas constanti experimentorum eveutu, validissimis rationibus, multisque Medicorum sententiis comprobari facile esset, sed cum præcipua protulerim, ex quibus reliqua deducere facile est, ne ultra quam oportet sim longior, ad alia sermonem convertam.

§. XVI.

A respiratione præsagia.

Nihil porro præstantius est, neque magis Medico necessarium, ad assequendam certam de exitu morborum notitiam, quam respiratio in ægrotis; hinc Hippocrates sedulus naturæ scrutator, multa de ea accurate tradidisse videtur: & Medici sapientiores eamdem in morbis, tamquam primum vitæ indicem, nunciumque veracissimum exitus ægrotantium, sedulo contemplantur: in ea enim tamquam in exemplari fidelissimo omnes fere corporis affectiones adamussim describuntur.

Respirationis usus, vix unum inveniri posse existimo, vel ex agresti familia, cui penitus latet; & quomodo ea fiat in pulmonibus, quibusque instrumentis perficiatur, quisnam est, vel ex tonsorum amplissimo choro, cui ignotum penitus sit? itaque de his modo agere cum inutile prorsus existimem, agam tantum de indiciis, quæ ab eo desumuntur.

Itaque si respiratio fiat in ægrotantibus, quemadmodum in sanis fieri solet, lenis videlicet, facilis, & sine ullo doloris, aut molestiæ sensu, bono indicio est; quoniam, ut ait Galenus, pulmones, septum transversum, pleuram, diaphragma,

phragma, ac denique omnes partes respirationi inservientes recte valere demonstrat; contrarium vero docet, si secus fiat; quoniam aliquod organum respirationis usui destinatum, non bene valere claro indicio est.

Omnis mala respiratio, ait Alpinus, semper mala est, sed non semper lethalis; si vero aliquid ex signis perniciosis simul illuceat, exitium certe portendit.

Respiratio magna, & libera tempore criseos; Hippocratis oraculo, bono indicio est; nam nihil in arteriis, nec venis stagnari significat, quin potius libere sanguinem per vasa pulmonum fluere.

Si respiratio ex mala in bonam permutetur, fausti præsagii est; infausti vero, si ex bona mala fiat; illa enim, quod impactum erat in pulmonibus, resolvi; ista, quod solutum erat, inhærere adnuntiat.

Respiratio magna, & valida, ea videlicet, in qua plurimus spiritus trahitur, & plurimus quoque, sed calidus, & fervens, ex ore, & naribus educitur, magnum robur in organis respirationi famulantibus indicat; sed magnum quoque in humoribus ad libere discurrendum obicem esse clare, & manifeste demonstrat: itaque si diu durat, inflammationes, sanguinis sputa, suffocationes, & convulsiones prudens Medicus

præsagire poterit; delirium quoque recte prædicet, si magna simul, & tarda sit respiratio.

Respiratio vero parva pejora indicat, præsertim si post magnam, & validam superveniat; nam aut naturam resolutam esse denotat, aut principem aliquam partem graviter læsam, magnaque inflammatione, acutoque dolore vexari; quod magis certum erit, si simul parva, & frequentissima sit.

Pariter admodum lethalis est respiratio obscura, ea videlicet ubi vix aliquid spiritus ex ore, & naribus educitur; cum emoriente jam corde, ejusque viribus resolutis, respirandi quoque facultas sensim evanescit, & perit.

Respiratio apparens, ea nempe, ubi scapulæ, thorax, nariumque pinnæ ad spiritum moventur, etiamsi paucissimus spiritus reddatur, exitium portendit; quoniam aut maximam angustiam instrumentorum respirationi inservientium demonstrat, aut maximam humorum circumeuntium congestionem, & immeabilitatem.

Stertorosa respiratio, ea videlicet, quæ cum strepitu fit, atque in gutture, imoque pectoris cavo quædam veluti materiæ ebullitio sentitur, quæ expelli minime potest, exitialis admodum est; promptam enim suffocationem minatur, ut in pleuriticis, peripneumoniacis, omnibusque

busque suppuratis ante mortem per unum, aut alterum diem quotidie observatur.

Aliquando vero evenire solet, quod stertosa respiratio asthmate, & distillationibus laborantes vel a morbi principio occupet, quin exitium afferat; sed potius sensim evanescit, materiæ videlicet peccantis resolutione, coctione, & expulsione. Si vero interposito spatio crescat, & augeatur, præsertim si alia symptomata pessima accedant, poterit ægrum extemplo suffocare.

Luctuosa respiratio, & interrupta, ea videlicet quæ suspiria elidit, infantiumque plorantium similis est, atque tempore inspirationis interrumpitur, velut stante thorace, & rursus id, quod deest, adjicitur, tremenda admodum est: summam enim potentiæ vitalis imbecillitatem, maximam vasorum angustiam, nervosique systematis convulsionem gravissimam ostendit.

Respiratio abdominalis, ea nimirum, quæ abdominis potius, quam thoracis musculis fieri videtur, cum per linteola motus ipse abdominis conspicue appareat, lethalis admodum, & perniciosa est; magnam enim pulmonum debilitatem, & ingentem viscerum abdominalium laborem adesse palam facit.

Respiratio suffocativa, ea scilicet, in qua ægri ad aerem liberiorem ducendum in ipso

morbi impetu, ftactisque jam viribus, e lecto surgunt, neque nisi erecti respirare possunt, funesti exitus semper est: angustiam enim vehementem pulmonum a maxima humorum stagnantium copia, aperte declarat. Feminæ vero hystericæ, virique hypocondriaci licet suffocari videantur, vix unquam pereunt, talis enim suffocativa respiratio, spasmodica est, non humoralis, & cum ad extrema eos fere deducit, soluto spasmo a virium debilitate superveniente, ipsa quoque solvitur, ægrotantesque a vitæ discrimine, molestiisque morbi extemplo liberat.

Respiratio frigida lethalis est; vires enim naturæ omnino resolutas, vitalemque calorem fere extinctum esse facile significat,

Si æger acuta febre laborans, magno dolore versus priora, & posteriora pectoris hinc inde vexetur, facie, & oculis rubeat, naresque inter respirandum aperiat, veluti equus a cursu delassatus, aut instar canis syrio ardore calefacti linguam protrudat, forasque exerat, septima die ut plurimum moritur: quia erisipelate, sive gravissima pulmonum inflammatione laborat.

Si respiratio ita dolorosa sit,& molesta, ut æger satius suffocari, quam celeriter, & libere respirare malit, infausto omine est; magnam enim inflammationem in pulmonibus adnuntiat; omnis

au-

autem inflammatio si mala est, in iis vero partibus, quæ principes vitæ sunt, pessima est.

Si hydropicis magna respirandi difficultas superveniat, mors certo bellicum canit; superflui enim fluidi copia, & per universam telam cellulosam diffusa, jam thoracis cavum, ipsiusque cordis thalamum inundari, & obrui, certo indicio est.

Si feminis utero gravibus difficultas respirandi sit, insolita fœtus moles; si non fœtis, fluxus mensium defectus, causa esse solet: nam major sanguinis copia circa præcordia retenta, ob interceptum, aut retardatum sanguinis circuitum per uterina vasa, libere respirandi pulmonum facultati, & viribus obstat.

Qui difficulter respirant ob nimiam corporis obesitatem, non raro extemplo moriuntur; nimia enim pinguedo vasa respirationis obstruens, fibrasque relaxans, spiritum, quo vita ducitur, facile elidit.

Aqua immersi, carbonum, vinique vaporibus oppressi, feminæque hysterica passione laborantes, licet aliquando spiritu interclusi, & sine ullo respirationis usu sint, non ideo protinus mortui putandi sunt, aut fato suo relinquendi: nam spiritus intus alit, & opportunis adhibitis auxi-

liis, cum vita ad usum respirationis facile revocantur.

Si respiratio ad motum omnem vel levisissimum impedita; celerque sit, cum pulsatione præsertim ad jugulum. & circa cordis regionem solito vehementiori; una cum pulsu duro; elato, vibranti; intermittenti, & cum difficili ad aliquod latus decubitu, cum tussi sicca identidem recurrente, quæ aliquid sanguine permixtum e cavo pectore extundat, aortæ certo expantionem denuntiat, quam Græci aneurysma dicunt; ex qua prudens Medicus, in arteque versatus, timere merito debet; ne æger inoponanter, disrupto scilicet arterioso ductu pereat.

Si crebra quoque; & ingens respiratio sit, neque æger libere cubare valeat, neque in faciem jacere, sed varie, & præter valentium morem lecto decumbat; cum venæ cavæ varicis nota sit, mors etiam repentina accidere potest; a vase nimirum venoso; sanguine multo, & crasso turgido, tandemque disrupto.

Respiratio cum anehelatione, & quodam veluti sibilo, maxime si cordis palpitatio, difficilis deglutitio, frequentesque animi defectus accedant, mortem intra paucos dies ægrum subiturum demonstrat; Cor enim hydrope nullis artis auxiliis superan-

superando laborare, diriterque vexari, non dubio indicio est.

Dixi de respiratione in morbis, dicam modo de anxietate, quæ non minus quam illa exitum ægrotantium ostendit, & torquendi modo, licet aliquanto molestior sit, non vero adeo dissimilis videtur.

§. XVII.

Ab anxietate præsagia.

Duplex anxietatis species est; una quæ vasorum genus, simul & nervorum; altera, quæ solum istud offendit; & licet utraque æque molesta sit, non vero æque perniciosa est. Nervina maniacis, hypochondriacis, feminisque hystericis communis est, sed sine gravi vitæ periculo ægros diu, multumque cruciat; Altera in gravissimis tantum morbis deprehenditur, certissimique periculi signum est; itaque in eam cognitionem intendere Medicus debet.

Ægris, qui anxietate laborant, nec modus, nec requies est; situm enim corporis continue mutant; jamque e lecto surgunt; jam in ipsum redeunt; modo in dextrum, modo in sinistrum latus, modo proni, modo supini cubant; pedes

 & bra-

& brachia modo contrahunt, modo quoque dispergunt; & jam contortis, jam divaricatis cruribus jacent; uno verbo situm identidem mutant, quia qui præsens ipsis valde molestus videtur. Difficili interim respiratione anguntur; pulsum debilem, & frequentem habent; suspiria, velut gravi pondere oppressi, animique violentis passionibus perturbati, ex imo pectore elidunt; profusis tandem sudoribus perfunduntur, donec convulsi, & suffocati pereant: Hæc est verissima anxietatis imago, in qua miseri ægri semel constituti, adeo quoque animo conflictantur, ut mortem vita præstantiorem existiment; satiusque mori, quam ita torqueri malint. Age vero præsagia, quæ ex ea derivantur, speciatim videamus.

Anxietas, quæ ingentem facit respirandi difficultatem, pulsum debilem, & obscurum, partiumque extremarum refrigerationem, vitæ periculum minatur; indicio enim certissimo est, in præcordiis majorem sanguinis copiam congestam esse, quam, ut cordis validissimæ vires, per arteriosos ductus propellere valeant, adeoque mortem a fatali fluidorum stasi imminere annuntiat.

Anxietas vero, quæ corporis jactatione, sensuque ægritudinis circa ostium ventriculi molesta est,

est, a vitio stomachi, hepatis, aut lienis oriri solet, quæ licet ac prior, non adeo funesta est, multa tamen ex ea mala metuenda sunt; ut lienis, vel hepatis suppuratio, putrida diarrhœa, sed præsertim icterus, qui, Helmontii sententia, nusquam alibi urget magis, quam in atria stomachi, unde excitat anxietates, & suspiria, designans ibidem tesseram suæ ferociæ versari.

Anxietas in febribus cum nausea, cibi fastidio, & stomachi morsu, vel a cibo, & potu corruptis, vel ab acri, & venenoso humore intus genito, nata, si vomitu superveniente, recedat, critica, & salutaris est; si vero a vomitu magis, & magis augeatur, exitiosa esse solet; quoniam materiem, quæ intus lædit, anxietatemque gignit, a facultate expultrice naturæ, nec corrigi, nec devinci posse denuntiat; vomitusque, symptoma, non critica morbi expulsio est.

Qui febre exanthematica laborat, si initio morbi anxius fit, materiæ peccantis expulsione ad cutem, liber ut plurimum ab anxietate evadit; si rursus, cum morbus recedit, exanthemataque exsiccari incipiunt, ad anxietatem redeat, in vitæ periculum facile offendit; miasmata enim morbi, particulæque venenatæ intus propelluntur, quod exitiosum est; nam spasmos, &

con-

convulsiones, nervos vellicando, facile gignunt, & putridam, malignamque febrem in corpore jam debili; denuo accendunt.

Si aliquis in anxietatem incidat, propter bilem nerveas stomachi fibras vellicantem, & icterus tandem fiat; urina videlicet crocea appareat, totumque corpus flavo colore inficiatur, ab anxietate ut plurimum liberatur; bilis enim, ab hepate obstruto in sanguinem transmissa, & per totum corpus diffusa, minori vi; & impetu stomachum, ipsumque jecur offendit.

Qui inflammatione ægrotat, si anxietate vexatur, graviter, & perniciose ægrotat; quoniam ignis inflammatorius, qui interiora viscera adurit, fluida humani corporis exsiccat, & sanguis quodammodo in vasis exarescit, immeabilisque fit.

Post immodicas evacuationes vel alvi, vel sudoris si anxietas superveniat, exitium portendit; quia à nimis evacuationibus, exaustis naturæ viribus; venenosa morbi materies non extingui, sed accendi, viresque acquirere videtur.

Si suppuratus, vel pleuriticus, vel peripneumoniacus anxietate vexetur, mortem præ foribus habet: sublato enim respirationis usu, imminutaque expultrici naturæ facultate, vel a puris copia, vel à virium defectu; æger sufocatus perit.

Si anxietas cum rigoribus, & signis coctionis appareat, non admodum pertimescenda est; quoniam imminentem crisim sæpius ostendit.

Anxietas; quæ cum partium extremarum refrigeratione incidit, pulsibusque exilibus, fereque deficientibus; nec non sudoribus viscosis, & frigidis per universum ferme corpus obortis, summe perniciosa est; extinctum enim jam esse vitæ, & naturæ calorem, inertesque plane esse fibrarum vires, vitalesque motus indicio est;

Exitium quoque præmonstrat, quæ cum diffusis, calidisque sudoribus; anxietas fit: quoniam isti non a critico naturæ motu, sed a magno labore, & oppressione oriuntur.

Qui ex vulnere vel percussione anxius evadit, in vitæ discrimen incidit; quoniam ex iis visceribus, quæ ad vitam summe necessaria sunt, vel collisum aliquid, vel vulneratum esse, ab anxietate demonstratur.

§. XVIII.

Ab ægri decubitu præsagia.

Quis crederet? etiam modus, quo lecto cubat, ægrotus, dat vitæ, & mortis indicia; si enim decubitus consueto, naturalique similis

sit,

sit, in lævum videlicet, vel destrum latus pro arbitrio, libituque ægrotantis inclinatus, brachiis interim, cervice, & cruribus paulum reductis, ac universo corpore flexuose, & molliter posito, morbum mitem, salutaremque futurum esse significat.

Si vero supinus jaceat æger, hiansque præter consuetudinem in somnum profundum dilabatur, si genua vel nimis contracta habeat, vel crura, & brachia dispersa, & inverecunde posita, gravi morbo conflictatur; graviori vero si anxie per lectum jactetur; gravissimo, imo pernicioso, si instar cadaveris, viribus ex omni parte exolutis, ad pedes subinde delabetur: quoniam istud præter morbi magnitudinem, facultatis motricis potentiam omnem abolitam, fereque extinctam esse ostendit.

Gravissimi quoque morbi, & periculosi nota est, in impetu febris, maximaque virium prostatione erectin sedere velle, ac è lecto prosilire, tamquam ad auram liberiorem captandam, id enim vel mentis perturbationem, vel magnam angustiam ad pulmonum vasa denuntiat.

Proximæ autem mortis est argumentum, si ita corpus projectum jaceat, & ad pedes devolutum, ut caput in pulvinar erectum reflectatur; aut sublato mento prior colli pars emineat; aut eo de-

misso

misso, quasi annuens claviculis incumbat.

Ubi quis in acutis lateris doloribus, aliisque pectoris morbis pectus assidue nudat, stragulaque repellit, tamquam si ab ipsis suffocaretur, lethalis morbi indicia præbet.

Si crura, & pedes nudet ægrotus, inæqualiterque dispergat, neque multus iis calor sit, periculosi morbi, angorisque interni certum indicium est.

Si in ventrem cubet ægrotus, neque ita dormire consuevit, vel delirium futurum, vel gravem adesse ventris dolorem denuntiat.

Si caput adeo grave ægroto sit, ut erectum sustineri vix possit; & si forte assidentium manibus erectum sustineatur, sibi relictum, vel ad humeros, vel ad pectus inclinetur, proprioque pondere deorsum tendat, certæ mortis non minimum argumentum præbet, cum hæc nota summæ, maximæque virium destitutionis sit.

Denique si æger manus frequenter naribus admoveat, neque in ipsis vitii aliquid sit; si muscas captare incipiat, & floculos, aut festucas colligere; si surgere sæpe tentet, velut ad sarcinas colligendas, vel ad iter conficiendum, vel ad hostes profligandos, vixque erectus, relabetur, inermisque recumbat, aperta interitus indicia

cia sunt; quoniam jam æger præter usum mentis, corporis quoque viribus destituitur,

§. XIX.

Ab alvi recrementis præsagia.

Multa, variaque sunt humani corporis emunctoria, quæ provida natura destinasse videtur ad humores, tum noxios, tum inutiles secernendos; ex quibus cum præcipua sint alvus, vesica, & cutis pori, ordinis ratio postulare videtur, ut prius de alvi recrementis, deinde de urinis, tandem de sudoribus agam, quo facilius quidquid præsagii ex singulis desumi possit, ostendamus.

Id itaque in cujusque generis recrementis dignum animadversione est, quod, quidquid ex corpore exit, salutem pollicetur, si opportuno modo, quantitate, & tempore foras propellatur cum notis videlicet coctionis, & cum levamine ægrotantis; quod vero aliter fit, si morbus gravis est, præceps exitium; si levis, longitudinem morbi significat.

Illud quoque annotatu dignum existimamus, omne recrementi, seu evacuationis genus salutare habendum, si per opportuna, & conferentia loca

fiat;

fiat; licet enim consensus unus in corpore sit, omniaque invicem conspirent, & conferant, attamen constanti naturæ lege notum, constansque est, singulas corporis partes, & propriis officiis fungi, & propriis emunctoriis repurgari; itaque caput per hæmorragiam, pectus per anacatharsim, uterus per menstruale profluvium, viscera abdominalia per alvi solutionem, & universum corpus per urinas, copiososque sudores citius, integreque repurgantur: quapropter præcipua salutis spes in sola per opportuna loca evacuatione facta ponenda est, aut saltem quibuscumque aliis merito præferenda.

Quæ cum ita sint, optima salutarisque ea alvi dejectio putari debet, quæ consistentia, colore, odore, quantitate, loco, & tempore, quibus excernitur, naturali, consuetæque similis sit; quoniam stomachum, intestina, aliaque viscera, quæ in ingesta agunt, bene valere clamat: quæ vero iis notis caret, semper mala, aliquando perniciosa erit.

Ergo, quæ nimis liquida, ubertimque fluit in acutis, tuta non est; quia ægrum nec dormire, nec lecto contineri permittens, eum nimis debilitat; debilitas autem aleæ plena est, quod non modo deliquii, quod vocant, sed mortis quoque metum facit.

Quæ alba est, vel assumpta non concoqui; vel bilem non secerni, neque per ductos suos in duodenum delabi denotat: quod bonis auspiciis non fit.

Quæ instar picis nigra est, atra bili ægrum vexari certo est; quæ, quocumque morbi tempore, si is cum febre sit, ejiciatur, pestifera est.

Quæ livida, solidarum partium colliquationem; quæ sanguinea, & dolorosa est, erosionem, & exulcerationem denotat; quod utrumque mortiferum est.

Pinguis quoque morifera esse solet; quemadmodum & ea, quæ purulenta est; sub utraque enim corpus liquescit.

Fœtida, graveque olens, præsertim si odorem stercori infantium similem late diffundat, mali ominis est; ingentem enim putredinem in visceribus esse designat.

Neque inodora periculo vacat; summæ enim cruditatis indicium ex ea desumitur: aperteque significat, ut Valesius ait, prælanguidam esse ventriculi, intestinorum, aliorumque naturalium viscerum vim in ea, quæ cibo, aut potu ingeruntur.

Aquosa in acutis insidias vitæ parat, præsertim si sitis absit; nam summæ cruditatis humorum

morum æque nota est, qui prius, quam coquantur, æger interit.

Alvus *sine* modo soluta cum febre acuta mala semper est; sine febre vero, non ita; præsertim, si intra septimum diem, ut ait Celsus; quiescat; purgatur enim ita corpus, & quod intus læsurum erat, utiliter effunditur. Si vero longius durat, suspecta esse incipit; febriculam enim movet, quæ sensim ægrum afficiens, tandem exhaurit.

Dejectio omnis sincera, biliosa, levis, graveolens, & perquam pinguis, quemadmodum expertus est Hippocrates in Sileno, & aliis, admodum periculosa est.

Dejectio versicolor, in qua videlicet, & roseum, & nigrum, & flavum, & croceum, & viride, & ferrugineum una simulque distincte apparet, constanti rerum eventu, perniciem minatur.

Alvus, quæ instar stercoris bovini, & levis, & flatu plena videtur, tuta non est; magnam enim in visceribus fermentationem, & fervorem adesse indicat.

Si alvus soluta sit; neque solutionem sentiat æger, vitæ periculo terrere merito debet; vel enim æger mente laborat; vel usu sensuum privatus jam est.

Alto sopore detentis, si alvus copiose fluat, neque somnus discutiatur, mors proxima est; vires enim resolvit, quin humores cerebro impactos discutiat.

Fusa alvus sine modo, Celsus ait, mulieri gravidæ elidere partum solet; nam vincula, quibus fœtus utero retinetur, debilitato corpore, facile solvuntur.

Leucophlegmatia detentis alvi solutio superveniens, malum plerumque solvit; superfluos enim humores, & undique per cellulosæ telæ interstitia difusos, hac via natura facile educit, & exhaurit.

Si lienosis difficultas intestinorum accidat, bonum esse solet; expurgatur enim per alvum, quod lieni impactum, morbum fovet.

Si alvus nihil omnino efficiat, sed ventris dolores acerrimi sint, ipsisque vomitus violentus accedat, & quidquid cibi, vel potionis assumitur, tametsi in imum descendat, paulo post, quia transire inferius non potest, ut per alvum rejiciatur, iterum vomitu redditur, idque sæpe impurum, maleque olens sit, res plena timoris est; convolvuntur enim intestina, & per os tandem ejiciunt, quæ per alvum ejicienda erant.

Alvus soluta cum totius abdominis intumescentia periculi præsaga est; quoniam magnam in visceri-

sceribus adesse humorum putredinem denuntiat: quæ si a flatubus, fœtidisque excretionibus non detumescat, omnem salutis spem tollit.

Tabidis, si alvus fusa sine modo sit, cum sudorum copia, & capillorum defluxu, cita mors imminet: imminet quoque, ostiaque jam pulsat iis omnibus, qui a gravi, & laborioso morbo diu vexati, viribus exoluti sunt.

Alvum solvi in pleuriticis, & peripneumoniacis malum semper fuisse Medici omnes proprio marte experti sunt; sed alvum exonerandi nimiam cupiditatem, cum ipsa minime astricta sit, lethalem in prælodatis morbis esse, Pasta se observasse testatur.

Longa, atque diuturna alvi solutio dentientibus pueris salutaris; si vero morbillis, variolis, aut petechiis ipsi laborant, perniciosa est.

A longo alvi profluvio hydrops ut plurimum nascitur; debilitatis enim solidis, aquosi humores vel cavo ventris inhærent, vel per interstitia telæ cellulosæ facile disperguntur.

Dejectiones nigras post sanguinis eruptionem lethales esse observavit Hippocrates in Sileno, Pitone, Appollonio, & aliis multis: & merito; corruptionem enim solidarum partium, & humorum dissolutionem denuntiant.

Sanguis stercore non permixtus, vel ante alvi

dejectionem, vel post eam, cum vehementi ani dolore, maxime ubi durum excrementum exprimitur, cum ex apertis venarum oris promanat, laboriosi, sordidique magis, quam periculosi morbi nuntius est.

Si vero sanguis cum stercore permixtus reddatur, frequenti conatu, ingentibusque imi ventris doloribus, tutus non est; exulcerata enim intestina esse denuntiat, & a materie acri, & erodente frequenter irritari: ut in tenesmo, & dysenteria frequenter experimur.

Alvi dejectio instar cruoris concreti, sine dolore, sive copiosa, sive parca sit, semper periculosa est; quoniam hepatem graviter affectum esse denotat.

Alvi solutio cruenta, & dolorosa, quam dysenteriam dicimus, si intempestive sistatur, in visceribus abscessum facit, vel in ipsis compressa, vel peccante ad ipsa translata materie.

Dysenteria sanguinea, si puri formis fiat, copioseque, & fœtide fluat, brevi ægrum consumit, & perimit.

Tandem alvi fluxus nimis copiosus a pharmaco assumpto, si opportunis auxiliis non cedat, discrimine plenus est; exulcerationem enim intestinorum, dolores, inflammationem, convulsionesque facit, ex quibus grangrænam, sphacelum,

celum, tandemque mortem ipsam subsequi facile est.

Et cum de alvi dejectionibus non pauca dixerim, de urinis quoque aliqua dicere modo incipiam, cum æque ad prognosim istæ conferant.

§. XX.

Ab urinis præsagia.

Manantes aquæ naturam, indolem, & qualitates telluris, per cujus viscera permeant, ut claris notis aperiunt; ita quoque urinæ indolem, & affectiones humani corporis per cujus interna perfluunt, claris indiciis demonstrant; quæ nisi Medicus discernere sciat; non immerito ab Hippocrate artis imperitus declaratur: inde ab antiquissimis temporibus Medici omnes, sive empirici tantum, sive dogmatici & rationales fuerint; accurato examini urinas subjecere: de quibus nos quoque, ut nostrum scopum adimpleamus, breve examen instituemus.

Nullus porro medicorum est, qui ignoret, quid, & quantum pro ætatis, sexus, temperamenti, victus, potus, tempestatis anni, & exercitii varietate variari possint urinæ: infan-

tium porro urina blanda est; & coloris, odorisque expers apparet; non ita est adultorum, quæ coloratior, & acrior semper deprehenditur, ob majorem videlicet salium, olei, & terræ copiam, qua imbuitur. Discrimen idem penes est inter hominem, qui blandō otio vitam agit, & eum, qui corpus, nervosque omnes violento exercitio indurat; quo magis enim homo duris laboribus, se exercet, eo magis urina colatior, & acrior fit, ob partes videlicet volatiliores, pureque lymphaticas, quæ facile avolant, dum majori salium, olei, & terræ copia circumeuntia fluida saturantur, intimeque permiscentur. Æstivo quoque tempore urina assumptis liquidis parcior redditur, hyemali vero ipsis fere æqualis est; illo enim per cutis spiracula nimio ardore solis rarefacta, major pars liquidi assumpti sensibiliter efflat, formaque sudoris dissipatur; isto vero, ob imminutum solis ardorem, paucissima, & insensibili tantum modo perspiratur. Etiam, qui potu aquæ se large proluunt, urinam copiosissimam, & limpidissimam mingunt, non ita vero, qui parce, & moderate bibunt.

Qui rheobarbaro, pro pharmoco uti solent ad ventrem exonerandum, sanguineo colore infectam non raro urinam effundunt; & qui cassia utuntur, nigre mingunt. Tandem qui alia, & asparagos

edunt

edunt, graveolentem urinam; qui vero terebinthi resinam deglutiunt, suave olentem eliciunt; violas enim lotium redolet. Hinc clare patet quanta prudentia, cautionibusque opus sit, in judicio ab urinæ inspectione proferendo, cum multis fallaciis, & erroribus locus sit; nisi quæ jam diximus, recte prius perpendantur. Quibus generatim animadversis; ad nonnulla particularia præsagia descendamus.

Urina porro hominis sani limpida est, colorem vini renani ut plurimum refert; & ad quantitatem assumpti potus maxime accedit, neque in ea aliquid aut subsidet, aut fundum petit; quæ ab iis notis recedit, malæ valetudinis, ægrotantisque corporis indicio esse solet.

Itaque, si urina colore nimis rubicunda sit, magnum æstum, maximamque in fluidis triturationem esse indicat: quæ si simul tenuis sit, & flammea perniciosa esse solet; quia sanguinis inquinamenta, cum per lotium non secernantur, fieri facile potest, ut ad nobiliora viscera cum ægri exitio transferantur: si vero turbida fiat, & post aliquod spatium temporis facile in sedimentum acuminatum præcipitetur, vel nubeculam in medio suspensam ostendat, salutaris esse consuevit; quoniam carporis impuritates per lotium ita secerni videntur.

Quæ vero nigra, aut livida funditur, rubra, & flammea pejor est; sub iis enim corpus liquescit, atque corrumpitur: potest tamen aliquando utilis esse, si in morbo aliquo critice fluat, ut fieri solet in longo hepatis tumore, in quartana obstinata, in nephritide, & in affectione, quam Hypochondriacam dicimus.

Quæ uvæ passæ colorem refert, tostæ, combustæque bilis præsaga est; quæ ruffa apparet, aut crocea, flavam; quæ viridis, atram bilem mixtam cum sanguine esse ab hepate infracto denuntiat; hæcque magis altera terrere nos debet, quia corrupti humoris soboles est. Viridis quoque urina post veneni potum fundi visa est: nec non in variolarum recessu, cum gravi vitæ discrimine mingi solet.

Quæ instar aquæ ex rupe prosilientis clarissima, & limpidissima fluit, in morbis cum febri ardenti delirium, ipsumque exitium portendit; id enim quod urinam tingit, & acre est, in cerebrum petit; Sine febre vero, si limpida sit, in feminis hystericam passionem, in viris hypochondriacam adesse palam facit.

Si pueri, adolescentuli, & viri diu multumque sine febre urinam limpidam instar aquæ clarissimæ fundant, in frigidos, longosque morbos, ut vertiginem, epilepsiam, dolores circa arti-

articulos, nervorumque resolutionem facile incidunt.

Pallida quoque, & aquosa urina cum magnæ cruditatis nota sit, in febribus levioribus mali longitudinem, in gravioribus exitium præceps adnuntiat; cum effœtas naturæ vires declaret.

Si lactea urina sit, subdulcis, assumptisque copiosior, mali ominis semper est; quoniam chilum in sanguinem non permutari indicat, itaque nutritio, assimilatio, & perditi reparatio deficere incipiet, donec tandem corpus liquescat, atque marcore consumptum pereat.

Urinæ fluxus, qui a potione assumpta non dissimilis sit, sed majori copia assumpto potu reddatur, ingenti siti interim ægrum vexante, vitium in relaxatis renibus esse denuntiat; quod ubi incidit, diuturnum esse solet.

Si urina sanguinea sit in morbis pectoris inflammatoriis, pleuritide videlicet, & peripneumonia, nec non in morbillis, variolis, petecchiis, aliisque acutis exitiosa est; magnam enim sanguinis triturationem a vi oscilantium solidorum demonstrat.

Si mictus cruentus apareat, post graves, ingentesque renum dolores, renes calculis vulneratos esse, aperto indicio est.

Urina gravi, fœtidoque odore nares offendens; nec

nec id ab assumptis vel cibo, vel potione, vel medicamento oriatur, innuit semper pestiferum morbum, ab oleis enim, & salibus solutis, attenuatis, & quodammodo putrefactis, morbus oritur. Solet autem malus odor ab abscessu aperto nasci, vel ab ulcere, quod in renibus, vel in vesica sit; sed tunc mixta cum pure urina funditur, quæ licet pestifera non sit, periculo tamen non omnino vacua est.

Neque solum ex urinæ colore, & odore recte præsagiendi ratio institui debet, ex ejus quoque quantitate, & qualitate opportuna præsagia desumuntur: si enim urina assumptum liquidum longe superet, in hydropicis, & nephriticis salutem promittit; reserari enim obstructa vasa enuntiat, itaque quod tenaciter hærebat in corpore, utiliter effunditur. Si vero talis sit in tabidis, exhaustisque corporibus exitium portendit; liquescit enim corpus, & sanguinis compages omnino dilabatur.

Si urina multo minor assumptis sit, consuetaque fluit parcior, vel maximum æstum visceribus esse, vel aliquam copiosam evacuationem per cutem, sputum, aut alvum fieri denotat; si autem urinæ fluxus omnino deficiat, vitium in renibus, vel in vesica est; quod ubi evenit, diu ferri non potest, quin post graves cru-

cruciatus exitium sequatur; ad cerebrum enim, vel ad *thoracis* cavum redundans humor transfertur, *in* hocque spiritum paulatim elidit, in illo extemplo suffocat: aliquando quoque ad ima viscera defluit, & intra cellulosæ telæ interstitia inhærens, tenaciterque stagnans, hydropis causa fit.

Verum majores adhuc notas ad recte præsagiendum exhibebit urina, si ejusdem substantia, & quæ in ea continentur, sedulo attendantur, itaque hæc quoque ad examen revocemus.

Urina pure mixta, renum, vesicæ, vel prostatæ ulcus, & exulcerationem ostendit; quæ si tantum muco glutinoso plena sit, vesicam a calculo, vel ab alia acri materie convelli, & irritari indicio est: si eadem arenulis referta sit, seminarium calculosum in sanguine est, quod sæpe cum vomitu, & ingenti renum dolore, aliisque cruciatibus patefit.

Urina pure mixta, si neque a renibus male affectis, neque a vesica exit, a disrupto abscessu in aliquo superiori loco exire debet, qui in renes refundi, & per urinas expurgari solet,

Si urina fluere desinat, sive a calculo, sive a sanguine concreto, sive ab aliquo crassamento, æger in vitæ discrimine versatur; febris enim inflammatoria facile adoritur, dum acerbis, gra-

vis-

vissimisque doloribus propter obstructum urinæ iter æger torquetur: quod si a naturæ vel artis ope non reseretur, convulsus moritur.

Si urina aliquando pinguis, & oleosa notetur, pinguedinem solvi vel a nimio vasorum atritu, vel ab acri humore signum est; itaque atrophia, & phthisis timeri merito debent.

Urina sine acrimonia, & sine ullo doloris sensu in pueris, & adolescentibus sponte profluens difficile curatur; in senibus insanabile est: imo nullos, supra quinquagesimum ætatis annum iis urinæ vitiis affectos, sanatos unquam se vidisse affirmat Hippocrates; & merito, vitium enim a resolutis nervis oritur, qui propter ætatem ad pristinum robur vix unquam redeunt. Si sponte quoque fluat in acutis, viribus jam resolutis, ægri ad exitium tendunt.

Urina graviter decumbentium, si insulsa omnique sapore penitus destituta sit, propinquam mortem præsagit; clamat enim, ait Boerhavius, effœtas esse naturæ vires: Hallerusque testatur quemdam ex urinæ sapore prophetam Amstelodami fuisse, qui degustando lotium, de vita, & morte ægrotantium feliciter præcanebat: quando enim illud sapidum, nondum mortis horam adesse; quam primum vero insipidum inveniebat, instare mor-

mortem adnuntiabat: & hac sola arte, seu præsagiendi ratione divitias multas sibi comparavit.

Quas modo exposui, similesque notas ad præsagiendum de ægrorum eventu urina suppeditat; itaque inutile videri non debet, si eam Medici attente inspicere ex monitu Hippocratis, seduloque contemplari debeant, cum vix ad ægrum accesserint. Nolumus tamen Medicos ex sola urinæ inspectione mira posse conjicere, aut vaticinari, ut ægri sexum, ætatem, habitum, & temperamentum; diem, & horam, in quibus morbus incepit, & quibus decessurus sit; faustum, vel sinistrum eventum; virginitatem, vel graviditatem in feminis; & an sit secuturus abortus, an vero marem, aut feminam utero plena enixura sit; : aliaque hujusmodi vanæ, ne dicam falsæ ostentationis portenta, quæ nonnulli lucrum potius, & gloriam, quam veritatem; aut ægrorum salutem aucupantes, in urina se inspicere gloriati sunt. Itaque jure meritoque Hippocrates dixisse videtur: Multæ enarrantur præclaræ, & admirandæ prædictiones ex sola urinarum inspectione, quas ego quidem nec ipse prædixi, neque alium Medicum prædicentem vidi. Si autem Hippocrates, princeps, inquam Medicorum, sedulusque naturæ perscrutator, qui in facienda medicina ultra centesimum con-

senuit

senuit; nunquam talia se præsagisse fatetur; quis erit, nisi vilis circulator, pseudove Medicus, qui talia prodigia cantet?

§. XXI.

A sudoribus præsagia.

Præter alvi, & vesicæ recrementa, sudores quoque sunt, qui ad rectam prognosim assequendam maxime conferunt, tum quod per cutis meatus sensibiliter effunduntur, tum quod facilius, & sine stomachi fastidio a Medicis observantur: de iis ergo quoque, quæ scitu dignora nobis videntur, in medium proferamus.

Sudores omnes boni sunt, qui morbum tollunt, aut minuunt: si vero eum nec omnino finiunt, nec saltem diminuunt, mali esse solent; morbum enim, si levis sit, in longum; si gravis in ruinam ducunt: sudores vero, qui ægrum lædunt, pessimi omnium habentur: quia ex fonte ubi desinunt mala, salusque decurrit, ægritudo augescere, viresque acquirere videtur.

Sudores similiter initio morbi profluentes, cum omnia adhuc cruda sunt, neque humor pravus subactus, ad exitumque paratus est, aut mali, aut inutiles sunt; profusis enim sudoribus, nondum

ma-

materie concocta, sanguis disseccatur, non depuratur, dissipatisque particulis sanguinis fluidoribus, quæ remanent acriores, tenacioresque fiunt: laudabiles contra, & opportuni sudores habentur, qui vel alvo purgata, vel materie concocta, ad exitumque parata erumpunt, præsertim si tenues, calidi, atque ex toto corpore leniter profluant, ægerque quieti, blandoque somno interim indulgeat, nec non si febris vi moderetur, & reliqua symptomata quiescant, impetumque contineant.

Sudores multi, & frigidi mali ominis semper sunt: similiter quoque, qui ægros imbecilliores faciunt; nec non qui spasmis, animi defectibus, & convulsionibus superveniunt: non dissimilis ominis nuntii sunt, qui acerbis doloribus vel stomachi, vel coli complicantur; & qui male olent, & a fronte guttatim defluunt; & qui denique cum multis gravibus, perniciosisque notis simul effunduntur: quoniam cum nimiam humorum depravationem, solidorum inertiam, spirituumque animalium inopiam ostendant, præsentaneum quoque vitæ periculum ostendunt.

Febres, quæ ab impedita insensibili perspiratione oriuntur, sudore leni, & continuato accedente, facile solvuntur; non ita vero, quæ a saburra in primis viis, humorumve putri cacho-

chi-

chimia ortum ducunt; istæ enim a sudoribus potius augentur, & quo profusiores ii sunt, periculosiores illæ evadunt.

Sudor, qui febribus intermittentibus supervenit, si eas non solvit, accessiones certo moderatur, & minuit, atque in statum tempus, quodam veluti circulo redituras, differt.

In febribus, quas Græci elodes, nostri sudoriferas dicunt, sudor licet profuse fluat, nullum ægris levamen affert, sed gravissimi incendii index est, quod dum omnia intus adurit, consumit, & destruit, extrinsecus in vapores partes subtiliores resolvit.

Sudores frigidi, qui in vulneratis observantur, mali auspicii sunt: pejoris, si destitutiones accedant; pessimi tandem, si malum odorem fundant, iis enim, ait Celsus, matura mors subsequitur, cum percussi cordis indices sint.

Rigor, si sudores præcedat, bonum, si eos insequatur, malum est: quia ille naturam ad cutem pravos humores propulsare; iste retinere, indicio est: humores autem propulsi solutionem morbi, retenti extinctionem ægri palam, apertèque promittunt.

Si frigidus sudor in febribus levioris indolis circa caput tantum, & cervices diffluat, longi morbi nuntius esse solet: idem nuntiat, si febris

post copiosum sudorem non remittat; aut ubi sudor *modo* incipiat, modo desinat, neque ubertim, neque continue fluat.

Si universum corpus blando, æqualique sudore irroretur, diuque ita sit, melius est, quam si largo, & copioso sudore undique difluat: iste enim diu ferri non potest, quin vires frangantur, spiritusque dissipentur multa enim secum & bona, & mala ex corpore arripit: ille sine magna virium, spirituumque jactura, humores pravos corrigit, superfluos expellit, morbumque solvit.

Si una tantum corporis particula copioso sudore difluat, vel vitium aliquod in ea est; vel magna debilitate laborat: ut ipsemet observavi in viro præstantissimo, qui ab extractione parotidis sub aure dextra positæ, magno sudore dum vixit ex ea parte continue afficiebatur, dum reliquis vix, ac ne vix quidem insudaret.

Sudor cum somno, & quiete tutior est; quam qui cum vigilia, & corporis jactatione effunditur; quoniam ille fibras in debita laxitate esse, humoresque leniter fluere indicat; iste fibrarum magnam oscillationem, & grandem circulantium humorum motum, & impetum esse demonstrat.

Sudor pariter per universum corpus fluens tu-

tior est, quam qui solum faciem, frontem, aut collum copiose humectat: & licet iste malus non sit, pessimus tamen esse potest si guttatim, & instar granorum milii in facie appareat; quia præter gravem ægri anxietatem, & molestam ægritudinem, magnam quoque virium resolutionem indicat.

Si quis animo linquatur, nec cito redeat, sed pauco, frigido, tenacique sudore circa frontem perfundatur, viribus jam fractis, extremitatibus frigidis, pulsibusque concidentibus, prope mortis limina est.

Sudores, qui ad auroram aliquando veniunt, crudorum humorum copiam in corpore esse ostendunt: si ipsi frequentes, diuturnique esse incipiant, febris hecticæ indices sunt; quibus si alvus soluta superveniat, totius corporis macies, capillorumque defluxus; jam in extremis ægrum laborare denuntiant.

Sudores colliquativi in tabidis, si arte adstringantur, superveniantque ægrotantibus tumores instar hydrope laborantium, vel aphtæ in gutture appareant, calorque urens in ipso oriatur nec non alvus ubertim diu, noctuque fluat, mortem non nimis procul esse ostendunt.

Sudores, qui gravi fætidoque odore molesti sunt, putrescentium humorum copiam in liquidis

dis circumeuntibus esse; qui atro, flavove colore linteola inficiunt, nimiam sanguinis dissolutionem, cum gravi vitæ periculo adesse præmonstrant.

Multa alia de qualitate, modo, & tempore sudoris hic afferre possem, sed cum præcipua exposuerim, ad alia symptomata perquirenda progrediar, quæ æque ad prognosim utilissima habentur.

§. XXII.

A vomitu præsagia.

Etiam ex ore per vomitum natura a superfluis gravibusque humoribus repurgatur; & hac quoque via materiæ qualitatem, & quantitatem ipsi hostilis, & inimicæ claris indiciis demonstrat.

Nausea, & cibi fastidium, ventrinculi, levisque stomachi subversio instantis vomitus notæ sunt, quibus si accedant crebræ sputationes, & inferius labrum tremet, jam prope est, qui facile subsequetur, si vel aliqua ingrata potio degustetur, vel digiti in os immittantur, aut nauseabundum aliquid palato, oculis, vel menti offeratur.

Is ubi fit, si nauseam, & cibi fastidium moderatur, si oris ventriculi morsum, stomachique subversionem sedat, nec non anxietatem, capitis dolorem, sitim, febris ardorem, aliave symptomata cuicuimodi bono indicio est, sive biliosus, sive tantum porraceus, sive ex utroque humore permixtus sit: nam in principio morbi causam vel tollit, vel minuit; in recessu, humores jam viribus naturæ subactos facile expellit.

Vomitus, qui a cibo nimia copia assumpto, vel ab eo intus acescente movetur, utilis est; quoniam natura breviori via a materie facile putrescente, insidiasque vitæ parante, corpus liberat.

Vomitus, qui longum alvi profluvium excipit, præsertim si aliquantulum acidus sit, alvum compescere solet; rediisse enim tonum, & robur stomacho, ipsisque intestinis certo initdio est; unde assumpti cibi non corrumpi, sed digeri, & concoqui incipiunt.

Vomitus passioni iliacæ superveniens subitam perniciem denuntiat, præsertim si corrupti humores, & instar stercoris male olentes, compressa interim alvo, ex ore rejiciantur.

In stomachi, hepatis, intestinorumque inflammationibus, si vomitus multus, & creber sit, perniciosus quoque esse solet: a motu enim vio-

lento;

lento, & *convulsivo*, quo totus venter concutitur, *affectæ* partes nimis irritantur, violentasque *oscillationes*, & crispaturas patiuntur.

Sanguinem vomere sine febre, periculosum; cum febre gravissimum est: pestiferum autem, imo tremendum, si niger, fœtidusque sit; qualis in febribus *pestilentialibus frequenter* observatur.

Sanguinem feminas vomere, menstruis deficientibus, non inutile est: incommoda enim multa, quæ a menstruis retentis oriuntur, mitescunt.

Si sanguinem femina menstruis retentis vomitu rejiciat, ipsis recurrentibus, *liberatur*.

Si femina non gravida, dum jejuna est, biliosa vomat per multos dies, vermibus certo laborat; itaque eos vel vomere, vel vomituram esse, prædicendum est.

Vomitus omnis materiæ corruptæ, nigræ, lividæ, & male olentis in morbo acuto; viribus jam fractis, exitium præceps denuntiat: viscerum enim corruptionis testis certus est.

Vomitus æruginosus post vulnus; aut contusionem capitis, tristem eventum auguratur: quia cerebri læsi nuntius est.

Vomitus æruginosus in febre acuta, cum vigilia, gravi capitis dolore, & surditate, insaniam minatur.

Vomitus æruginosus nervorum distentionem,

mor-

morbum comitialem, profundumque soporem aliquando finire visus est; maxime si a bile stomachi nervos, sensilesque fibras irritante, morbi dicti oriantur; eo enim corpus ab acri stimulo facile exoneratur.

Si post grave morbum, homo cibum non sentit, sed eum cum nausea recepit, & vomuit, ad recedivam pronus est: quæ præsertim timenda est: si virium imbecillitas manet, si spiritus male olet, si sitis est, faciesque vel pallida, & inflata maxime ad palpebras sit, somnusque interruptus, & inquietus fiat. Nam dum id observatur, morbum vel sopitum, vel compedibus retentum, non penitus victum esse indicio certo est; itaque quod remanet, sopitum excitat, sæpeque tragædiam cum luctu renovat.

Sed ne longius evager, summatim mentionem faciam de pravis vomitus notis, quas Hippocrates scriptis in suis jam multo ante collegit: vomitus itaque omnis sincerus, varius, biliosus, ruber, ater, viridis, æruginosus, niger, sanguineus, putris, & mali odoris, copiosus & nihil conferens, parvus, & frequenter rediens, anxiosus, diuturnus, vires resolvens, convulsiones excitans, & sudores frigidos faciens, periculo semper plenus: vel enim magnam copiam, & pravam materiæ morbosæ qualitatem in stomacho nidulari; vel irritos esse naturæ conatus ad ma-

teria

teriæ peccantis expulsionem; vel vires corporis imbecillissimas esse palam; aperteque ostendit.

§. XXIII.

A sputo præsagia.

Cum duplex sputi genus sit, alterum, quod sine tussi, a palato videlicet, glandulis oris, faucibusque, & gutture fluit; alterum, quod tussi modo leviori, modo graviori ex tracheali ductu, bronchiis, intimoque pectore educitur; quid urtumque ad prognostim maxime faciat, paucis attingam.

Sputum, quod sine tussi fluit, dilutum videlicet, insipidum, perlucidum, & leviter spumescens salivæ nomine insignitur, quod si salsum, amarum, acidum, aut subdulce fiat, vitia, quæ ex vario acrimoniæ genere oriri solent, timenda sunt.

Si sputi multum ex ore defluat, cum gingivis turgidis, maleque olentibus, scorbutica labe æger laborat; cui si prompte non succurratur, formido est, ne totum corpus, cum impendenti ruina inficiatur.

Salivationes multæ in infantibus lactantibus, proximam dentitionem; in feminis, uterum ple-

num. ; in viris imbecillem stomachum ; & in senibus tandem nervorum resolutionem ostendunt.

Hypochondriaci , si salivam copiose spuant , toti exsiccantur , graviusque se habent ; dum enim salivales glandulæ , nimis emulcentur , a vicinioribus partibus humores mutuantur , easque eluendo , & naturali rore privando disseccant , gravissimisque malis afficiunt.

Saliva spuitione voluntaria nimis secreta atrophiam, ait Boerahavius , & cachexiam , & hydropem creat : nec immerito , ex ea enim diluente liquido necessario stomachus privatur , ut possit alimenta subigere , & chylum , & bonum sanguinem conficere .

Salivatio multa a mercurio , vel ore assumpto , vel corpori illito , pertinaces impuræ veneris morbos feliciter sanare valet : Etiam salivatio ab assumptis parvis lacertis excitata cancros, ulceraque multa fere insanabilia in nonnullis Americæ plagis curasse visa est ; ut nuper nobis viri non dubiæ fidei testati sunt.

Qui variolis laborant, si salivam copiose spuant , non periclitantur . Nec dissimile in omni morbi acuto evenire solet : quoniam salivæ copiosus fluxus in acutis certo indicio est , aut corpus per hanc viam a superflua materie repurgari , aut æstum febrilem non adeo grandem

esse ; ut *liquida* resolvat, & dissipet, humorumve inutilium separationem impediat, minuat, aut retardet.

Saliva multa circa diem undecimum variolarum profluens salutem certam pollicetur; nam eo die ut plurimum corpus ægrotantis squamis undique tegitur, præsertim in variolis confluentibus, quæ omnium periculosiores sunt, itaque salivatione multa accedente, quod propter occlusos meatus perspirare non potest, per sputum utiliter effunditur: aliter in sanguinem remeans, eumque facile corrumpens, nervosque irritans, causa mortis esse solet.

Salivæ sputo muci sputum proximum est; huic ergo quoque disquisitio nostra debetur, ut ex eodem opportuna præsagia petamus.

Sputum, quod tussi ejicitur, & quo de nobis modo sermo est, saliva aliquanto crassius apparet, glutinisque instar, ovique albuminis mucosum est; modoque album, modo viride, modo flavum, modo rufum est; num sanguine, num pure permixtum apparet; alias salsum, & amarum, alias subdulce gustatu est; jam fœtidum, jam inodorum est; modoque facile, & copiose, modo parce, & difficulter fluit; modoque his, modoque aliis notis insignitur, pro qualitate videli-

delicet, & quantitate materiæ, quæ sputi, morbique causa est.

Destillat ex capite humor, qui si intra fauces, & asperæ arteriæ limina continetur; sputum porro, sed cum tussicula, levique raucedine movet; si vero ulterius progrediatur, ipsosque pulmones infestet, febrem, tussim, aliquamque spirandi difficultatem facit, quæ nisi excreatu copioso, concocto, viscidoque, intra quadragesimum quiescant, pulmones ad anhelationem, quam Asthma Græci appellant, vel ad tabem disponunt: ut constanti ægrorum eventu comprobatum comperimus.

Sputum tenue cum tussi frequenti, & molestà humores ad pectus fluentes incoctos esse; crassum, sed difficile excreatu; concoqui; si vero facilè, levique tussi eiiciatur, natura eos jam concoxisse significat.

Sputum copiosum. & viscidum multitudinem humorum denotat; quod si facile excernatur morbum longum, sed per eum sanatum iri, ostendit.

Sputum spumosum a pectoris cavo venit, a viscido videlicet humore, æstu nimio pulmonum rarefacto, aerique intime permixto: quod licet æger copiosè excernat in magna pectoris

infiam-

inflammatione inutile omnino esse prædicendum est; nihil enim morbi tollit, aut minuit.

Sputum cum tussi sine dolore a pulmone oritur, quod cum paucis nervis præditum sit, indolorium fere est; quod vero cum tussi, molestoque dolore excreatur, a pleura, a membrana videlicet pulmones subcingente oritur; quæ cum multis nervis prædita sit, caussa molesti doloris est.

Sputa rotunda, & instar parvæ grandinis globosa, licet sine febre diù proiiciantur; hominem ad phthisim tendere annuntiant; ut Alpinus sæpius se vidisse testatur: ipseque Galenus jam prius viderat in adolescente; qui nullis auxiliis phthisim declinare potuit.

Sputum quoque acre, salsum, & subdulce, si cum tussi diu homines infestet; ad tabem deducit; quoniam acris humor, qui in pulmones assiduo destillat, tussique vexat, eos tandem rumpit, erodit, & exedit.

Nihil omnino spuere in morbis pectoris cum dolore, tussi, febri, spirandique difficultate exitiale est: quod enim intus remanet, aut suffocat ægrum, aut in sphacelum propellit.

Sputum in morbis pectoris, varium, morbi longitudinem denuntiat; viride vero, nigrum, flavum, & æruginosum, breve, & cum pericu-

lo

lo morbum ostendit: a bile enim vel atra, vel flava, vel alio putrescente humore in pulmonies recepto morbus oritur, qui intra quartum, & decimum diem ægrum occidere solet.

Sputum adeo tenax, & viscidum, ut nullis artis auxiliis, neque ope naturæ screari possit, exitium minatur; nimis enim tenaciter pulmonum, meatibus inhærens, viam respirationis obstruit, stertorem facit, ægrumque facile in angorem, & suffocationem agit.

Sputum, quod jam fluere cæperat, si nulla de causa supprimatur, summe periculosum est; id enim fieri solet, aut propter nimiam ægri imbecillitatem, aut propter grandem humorum copiam, & tenacitatem, quæ vias respirationis occludendo, spiritum elidunt; aut ægri pessime anguntur, donec iterum sputum educatur.

Omne sputum fœtidum, graveque olens cum Hippocrate Galenus damnat; & merito, quoniam ab humoribus intus putrescentibus ipsum fœtere, certum est.

In biliosis pectoris inflammationibus sputa multa, alba, & pituitosa semper inutilia, non raro perniciosa sunt, ut vidit *Alpinus* in pleuritide pestilentiali *Bassani* grassante; & ratio est, quia nihil humoris inflammationem facientis per ea repurgatur.

Spu-

Sputum nigrum lethale est, ab incendio enim pulmonum venit, vel a putrida eorum dissolutione. Sed sputum nigrum sæpe ipse vidi, quin æger moreretur; nam nigredo non a morbi indole, sed a nigro fumo in pulmones recepto, qui in ipsis hærebat, oriebatur: quod in typotheti frequenter accidere solet.

Sputum, quod tussim, febrem, & dolorem sedat, spiritusque difficultatem tollit, aut minuit, bonum est; vacuari enim per id morbi materies videtur: quod vero neque tussim, neque dolorem levat, neque febrem, neque spirandi difficultatem minuit, malum est; quoniam materies, quæ morbum fovet, intus remanet; pessimum vero est, si ab eo symptomata increscunt, graviusque ægrotantem offendunt, quia tum inflammatio in suppurationem tendit, quæ semper plena metus, & periculi est, nam gangræna, aut sphacelo terminari plerumque solet.

Sputum multo sanguine mixtum a vase in pulmonibus rupto proficiscens, periculosum est; nam si diu manare pergat, aut frequenter revertatur, ægrum ad phthisim pronum facit; Si vero prompte finiatur, potest ei contingere secunda valetudo: Si vero sputum sanguineum a vase in pulmonibus eroso oriatur, pestiferum est;

Intus

intus enim ulcus insanabile fit; sed tum cum sanguine mixtum pus emittitur.

Si a sputo sanguinis puris sputum sequatur, tabes tandem ægrum occidit, ut pulchre Hippocrates monuit; exulceratis enim pulmonibus febris assidua succedit, quæ corpus sensim extenuans, certam ægris perniciem affert.

Si in tabe sputum rettineatur, aut gravis in eo odor incipiat, æger cito moritur: hoc enim pulmones jam putrefieri; illud exilissimas esse vitæ reliquias, denotat.

Si post inflammationem pectoris sputum pure mixtum excernatur, suppuratio in pulmonibus est; a qua si intra quadragesimum diem non repurgatur, inveterascente malo, æger intra annum tabe consumi solet.

Tandem, ut finem faciam, scire licet, sputa salutem promittere, si bonæ indolis sint, si ab iis nimirum, quæ in statu integræ valetudinis excreantur, vix recedunt; si facile, & sine febre secernantur; si brevi interposito temporis spatio incipiant, & desinant; si vires ægri non frangant; si symptomata aliqua, ut febrem, tussim, dolorem, spirandique difficultatem aut tollant, aut minuant. Sputa vero, quæ pessimæ indolis sunt, flava videlicet, & ruffa, æruginosa, livida, nigra, sanguinea, salsa, acida, subdul-

dulcia, purulenta, fœtida, nihil levantia, & quæ retinentur sine causa, & quæ excernuntur cum difficultate, & quæ vires ægri resolvunt, & quæ morbi symptomata augent, nullæ salutis spem ostendunt.

§. XXIV.

A sanguinis profluviis præsagia.

Sanguinis profluvia in acutis non raro accidere solent, modo enim sanguis e naribus sponte profluit; modo vomitu ex ore ejicitur; modo cum tussi ex imo pectore venit; frequenter in feminis ex utero, & in viris ex hæmorrhoidibus dimanat, & in utrisque ex alvo aut purus, aut mixtus fœcibus exit.

Age jam videamus, quid horum unusquisque fluxus designat, & ab hæmorragia sive a sanguinis fluxu e naribus, qui omnium in acutis frequentior est, dicere incipiam.

Signa, quæ sanguinem e naribus fluxurum annuntiant, eumque præcedunt, ut plurimum esse solent, febris ardens, continua, inflammatoria; temporis anni constitutio verna, aut æstiva; ægri temperamentum calidum, atque sanguineum; ætas adolescentiæ proxima; capitis gravedo,

do, & dolor; colli tensio; temporum pulsatio; oculorum caligo, rubor, aut splendor quidam & fulgor circa eos obversans; totius faciei, sed præcipue genarum, & narium rubescentia; narium quoque pruritus, & frequens ad eas digitorum appulsus; hypochondriorum tandem tensio sine sensu doloris, & cum levi spirandi difficultate: quibus indiciis, si pulsus accedat dicrotus, seu digitum bis feriens, quem in multis ægris suæ curæ commissis sæpe se observasse memorat Solanus in Hispania olim Medicus præstantissimus, unusquisque Medicorum poterit, animi absque ulla hæsitatione, impendentem hæmorragiam prædicere, & vaticinari.

Si sanguis e naribus large, copioseque defluat in acutis, bono indicio est; tollit enim ut plurimum surditatem, minuit capitis dolores sedat delirium, somnum conciliat, febrisque calorem temperat: quoniam oscillantium solidorum crispaturas mulcet, & circulantium fluidorum impetum remoratur, & coercet; ut Hippocrates observavit in Metone, & aliis, qui tantum copioso sanguinis fluxu e naribus sanati fuere.

Si vero sanguis e naribus tanta copia efferatur, ut vires collabentur, extrema perfrigeant, vultusque pallidus, & lividus fiat, jamque animi destitutiones accedant, mortis proximæ præsagus

sagus est: deficit enim cordi a sanguinis inopia impulsus ille, seu actionis motus, unde vires vitæ redintegrantur, ut diu, longeque maneant.

Itaque non quicumque sanguinis fluxus laudem meretur, spemque bonæ valetudinis facit, sed ille tantum, qui morbum infringit, quin ægrum prosternat: qui vero ægrum imbecillem facit, quin morbum minuat, damnandus, timendusque est; quoniam ægrum nimia profusione interficere quoque potest: itaque nimis copiosum sanguinis fluxum opportunis auxiliis compescere oportet, exemplo Galeni, qui eum compescuit in juvene romano, in quo jam sanguis ad quinque fere libras largiter profluxerat.

Modicus sanguis, ac stillatim per intervalla ex naribus decidens in febribus acutis, & ardentibus semper exitii indicium est; præsertim si ipse sanguis niger, & crassus appareat, reliquaque symptomata mala sint; infirmitatem enim virium maximam denotat, humorumque circumeuntium corruptionem, & malignitatem: ut observavit Hippocrates in Philisco, Epamenone, & Sileno, qui mortem obierunt, & sanguis quarta, & quinta die e naribus stillavit.

Ipsæ quoque sanguinis stillæ pejus eventum nuntiant, quo sæpius redeunt; sæpe enim hac

via natura tentat morbum solvere ; sed irrita tentat ; omnis autem irrita naturæ contentio , cum magnas perturbationes faciat , vires corporis frangit , itaque morbi periculum auget , non minuit ; exitiumque , non vitam pollicetur.

Non solum ab hæmorragia, a vomitu quoque sanguinis varium ægrotantibus periculum instat. Si enim sanguis vomitu purus, copiosus, & rutilans ejiciatur, vas aliquod intus apertum, disruptumque esse denotat, quod nimia profusione exhaurire hominem potest : si mixtus atro humore sit , neque adeo copiose fluat, ex jecore ab acri bile affecto oriri solet , qui si sine febre sit, non adeo perniciosus est ; cum febre vero pestiferus , ob internam videlicet visceris corruptionem, quæ brevi ægrum e vivis tollit.

Sanguinis , qui sputo ejicitur , varius quoque exitus est , si enim sine tussi sit , solaque levi palati titillatione modice fluat, leviter terrere nos debet ; vel enim a capite in os delabitur, quod innoxium est ; vel circa fauces vitium leve tantum est . Cæterum, qui valida tussi expellitur, si spumans rutilansque sit, cum a pulmonibus , imoque a pectore veniat , disrupto scilicet aliquo ex maximis vase , timore plenus est ; si enim copiose, & ubertim vomitu quasi quodam erumpat, aut extinguere exinanitione ;

aut

aut retentus intra cavum, ægrum extemplo suffocare potest.

Si cum tussi, & per intervalla, parumque copiose defluat, non gravis periculi index est; si vero mixtus cum pure appareat, horrendus merito est: Ulcus enim insanabile jam in pulmonibus apertum esse demonstratur, a quo mors brevi spatio temporis sequi debet; sed de iis fusius egi, cum de sputo singillatim dixi, ad reliquos ergo sanguinis fluxus sermonem convertam.

Cum feminæ ad quartum, & decimum ætatis annum perveniunt sanguinem per singulos menses ex venis in utero apertis periodice reddunt; qui si præter ætatem, quantitatem, & modum retineatur, gravissimarum fomes ægritudinum fieri solet: si vero copiosius fluat, quam par est, nedum gravissimum vitium, sed horrendum fit; totum enim corpus virium prostratione laborat; animus tristitia, metu, mœroreque conficitur; vultus colorem, decoremque suum amittit; cibi cupiditas labescit; assumptorum coctio, & digestio deficit; pedes intumescunt, faciesque turgida præsertim circa palpebras apparet; lenta, febricula vexat ægram; tandemque aqua intercus occidit.

Si compressis mensibus sputum sanguinis su-

perveniat non nimis terrere debet; nam iterum patefactis sistitur, quin pulmones ex eo quidquam patiantur; sanguinis enim menstrualis refluxu ad præcordia, vincula vasorum pulmonalium aperiuntur tantum, & dilatantur, non rumpuntur.

Si compressis mensibus, sanguis e naribus copiose profluat, incommoda, quæ a retentione oriuntur, mittescunt, aut desinunt.

Si sanguis a partu copiose fluat, tutum esse solet, ita enim uterus a superfluis humoribus repurgatur; si vero post abortum nimis copiosus sit, exitium afferre potest; id enim a magno aliquo vase disrupto ut plurimum oriri solet.

Si sanguis guttatim ex utero manat, fœdusque odore sit, & cum sensu doloris erumpat, pureque, aut icore mixtus feratur, feminas consumit, & ad tumulum usque comitatur: acris enim homor, qui distillat, fere cancerosus est, unde ulcus insanabile intra vulvæ claustra facile fit.

Sanguis copiose fluens in utero plenis, fœtum inoportune elidere solet; vel ipsum, si feminæ suo tempore reddunt, infirmum, & imbecillem facit.

Sanguini ex utero, proximus est, qui ex hæmorrhoidibus profluit, de hoc ergo modo pauca dicamus.

Ex

Ex oris venarum, quas circa podicem posuit, & collocavit natura, sanguis aliquando dilabitur, qui si intra modum est, justosque naturæ limites, non morbus, sed purgatio esse solet: hac enim via natura custos, conservatrixque sui, corpus a plurimis malis deffendit, & liberat. Ubi verò nimis copiose decurrit, hominem infirmum, imbecillemque facit, unde malorum iliades, fons, & origo est: nam primum vividus faciei color deflorescit; pedes deinde intumescunt, magnaque gravitas, & imbecillitas in femoribus, cruribusque persentitur; tandem, si vetus vitium esse cæpit, cachexiæ, & diri hydropis gravissimis morbis viam sternit.

Neque aperta venarum ora claudere tutum est, sanguine enim omnino supresso, æger in phthisim delabi visus est, defectu enim consuetæ evacuationis superfluus humor ad pectora refluit, vasaque distendit, & rumpit; qui si simul acer sit, ea corrodit, & exedit: itaque non immerito Hippocratem præcepisse existimo; sic curandos hæmorrhoides esse, ut ex multis una maneat aperta.

Jam de fluxu sanguinis ex alvo, qui tum in viris, tum quoque in feminis accidere solet, dicendi locus erat, nisi jam satis de eo dixissem, cum de alvi profluviis verba feci; itaque de san-

guine, non qui sponte fluit, sed qui manu educitur, ut morbis auxilio sit, proximo capitulo loquar, ex eo enim aliqua quoque indicia disci possunt, ut de morborum eventu; recte præsagiatur.

§. XXV.

A sanguine per venam detracto præsagia

Cum medici sæpe viderint ægros vehementi, & acuto morbo laborantes pristinæ sanitati restitutos facile fuisse a sola spontanea, & copiosa sanguinis eruptione, sive e naribus ea, sive ex apertis venarum vulvæ, vel podicis oris fluxerit, naturam imitari cœperunt, audacter in morbis præsertim acutis; nunc per hirudines, nunc per sanguinis missionem, nunc ope cucurbitularum emittendo; ipseque Hippocrates artis medendi magister; & parens juremerito appellatus, sanguinis detractione usus esse videtur, cum ea opportune uti; sæpius præscripserit, & commendaverit: In acutis morbis, ait enim, sanguinem detrahes, si vehemens morbus fuerit, florens ægrotantis ætas, & virium adfuerit robur. Cum ergo nullum aliud in uni-

versa

versa medicina præsidium sit, nostris præsertim temporibus, quod frequentius adhibeatur in ægrorum levamen; nec aliud Medici; vel diligentius inspiciant, vel accuratiori examini subjiciant, quam ipsum sanguinem e venis nuper elicitum, scopo nostro minime alienum esse putamus, quinimo maxime deberi sentio, si sanguinis extracti notas modo quoque proponam, ex quibus non magis, quam ex fluxibus sanguinis, qui sponte succedunt, aliquid ad præsagiendum desumi facile potest.

Jam olim præstantissimus Baglivius Medicos animadverterat, quod nemo eorum, neque curationem, neque prognosim recte instituet in acutis, nisi antea statum sanguinis cognoverit; diligenterque examinaverit, an scilicet tenuis; vel coagulabilis; lentus, vel viscidus; ruber, aut pallidus sit. Quam sententiam tanti fortefecit clarissimus Lancrisius, ut non solum fideli oculorum inspectioni, aliisque accuratissimis experimentis; sed etiam chimico Analisi sanguinem incisa vena emissum sæpe, frequenterque subjiceret: sed cum hæc pericula tentare ad detegendam sanguinis naturam, neque prorsus necessarium; neque omnibus facile sit, eas tantummodo notas medicis observandas proponam, quas necessarias existimo, & quæ sine ullo chi-

mico apparatu, aut vana sapientiæ ostentatione, sub sensus facile cadunt.

Sanguis ergo, sive liquor ille fluidus, & rubicundus, qui dum vivit homo, in motum continuo agitur, si e venis eliciatur, idoneo vase receptus, in duas partes segregari solet, in partem videlicet fluidissimam, & leviter flavescentem, quæ serum dicitur; & in crassamentum, partem videlicet rubram, & coagulatam, quæ fundum petit, & sero instar insulæ undique cingitur; est quoque in sanguine alia pars subtilissima, quæ in auras avolat, & aciem oculorum eludit; nares tantum odore urinoso leviter ferit, & si speculum, ipsi opponatur, halitu quodam obnubilat, vaporeque obducit.

Jam ergo si sanguis e venis detractus ita concrescat in vase, ejusque parietibus ita tenaciter adhæreat, ut pars ejus rubra a serosa minime segregetur, neque in ea insulæ instar innatet, malo omine est: quoniam nimiam humorum circumeuntium densitatem, tenacitatem, & lentorem denotat, unde inflammationes, congelationes, stagnationes, gangrænæ, & sphaceli, facile oriri solent, ut frequenti experientia Medicis observare datum est.

Si contra adeo fluidus sanguis sit, ut post aliquod extractionis tempus minime in coagulum

con-

concrescat, sed undique fluctuet, priori pejor est: nimiam enim humorum dissolutionem, liquescentemque indolem nuntiat, ex qua gravissima vitæ pericula demonstrantur; ut in peste, febribusque putridis, malignis, & pethechialibus sæpe visum est; imo qui iis febribus correptus interit, etiam in tumulo, propeque funeribus positus, sanguinem sæpe fluidissimum vel ex ore, vel ex naribus fundit.

Si sanguis elicitus, visui splendescens, & gustatu acer, vel salsus sit, scorbuticam labem a salinarum, & alcalescentium particularum prædominio corpori inesse ostendit, quæ prius stagnans, atque consistens in extima cute, & in gingivis, mox intime viscera adoriens, & exedens, cachexiam tandem, fœdaque ulcera, ex depravata ejus indole gignit, inter quæ magna imbecillitas, præsertim in cruribus oritur, quorum compages labefactatur, & intumescit.

Copia rubri humoris si serosum longe superet, sanguinei, inflammatoriique morbi proxime timendi sunt; si vero serum multum sit, rubraque portione longe copiosior, cachexiam, pedum ædemata, ipsumque hydropem præsagire facile est; hujus enim indolis, & naturæ sanguis debilitatem systematis vascularis, spirituumque animalium inopiam ostendit, unde lympha-

tici

tici, serosique humores in cavis majoribus, in partibusque a corde longe dissitis; per cellulosæ telæ interstitia diffusi, facile consistunt, & inhærescunt.

Serum, si luteum, nimisque flavum sit, bilis porro in sanguine abundat, quæ in duodenum intestinum, cum ob hepatis, choledicive canalis obstructionem non trasmittatur, sanguine confunditur, turbas in ventriculo ciet, urinas turbidas, & croceas facit, & summum corpus aurigine, seu flavescente colore inficit, & deturpat.

Serum si turbidum sit; sedimentosum, fereque lactescens, morbi, qui ex cruditate humorum, malisque coctionibus; & digestionibus oriti solent timendi sunt.

Si sanguis recenter detractus male, fœtideque olet, cum indolis gangrænosæ sit, ad putrescendos quodammodo humores cum ægri occubitu tendit, ut in febribus pestilentialibus a viris gravissimis observatum esse comperimus,

Si multum nigræ substantiæ sit in fundo detracti sanguinis, homoque febri laborat, magnam exustionem humorum; morbique vehementiam indicat: Si non febricitat; atro humore vexari, certo indicio esse solet.

Sanguis, qui in quamdam crustam fere coraceam, colorisque sevi liquati coalescit; ut plurimum

rimum rheumaticas affectiones, sed præsertim acutos lateris dolores comitatur, unde crustæ pleuriticæ nomen adepta est: hæc vero nota non adeo constans, veraque est, ut a vulgi hominibus habetur; cum in corpore sano aliquando appareat; in ipsaque pleuritide, modo sub principio, modo in ipso morbi augmento penitus deficiat.

Si sanguini nuper detracto pinguedo permixta videatur, in obesis acute febricitantibus, pinguedinem solvi; in tabidis, humores omnes indicat liquesci.

Si sanguis pallidus sit, nimisque serosus, qui a solidorum tono deperdito, fluidorumque spiritu evaporato ut plurimum oritur, cachexiæ, & impendentis hydropis indicium est: præsertim si copiose, nimisque diu aperta alvus præcesserit, aut sanguis sine modo ex ore, ex utero, aut hæmorrhoidibus fluxerit.

Sanguis, si adeo rubicundus sit, & purpureus, ut ad colorem trachelii indici, sive floris Cardinalitii proxime accedat, seroque pauco permixtus sit, æger de vita periclitatur: ut Simon Pauli, cum aliis gravissimis viris, sæpe expertus fuit.

Quid plura? vermines cum sanguine in gyrum agi, & proteorum varia indole, & natura, va-

rias

rias multiplicesque ægritudines, & vitæ discrimina facere, multi quondam, & viri alioquin sapientissimi, contenderunt, ob fraudem scilicet, versipellemque industriam circulatorum hominum, in errorem delapsi: isti enim positam sanguinis nuper eliciti guttulam intra opticum tubum, astantibus conspiciendam, & contemplandam exhibebant, qui cum turbam vermiculorum in ea, tamquam in vastissimo lacu innatatium conspicerent, in admirationem rapti, eos morbi causas veras, & legitimas esse pro aris, & focis contendebant: non vero sanguinem, sed putre liquamen, quod miro artificio intra ipsum tubum contegebant, bonis hominibus versuti, & callidi inspiciendum offerebant: Sed tandem, detecta fraude, error evanuit; jamque nullus, vel vulgi Medicus est, qui talia figmenta credat.

Plura tamen, nec falsa quidem, nec parvi momenti esse, quæ a sanguinis indole, & qualitate desumi possent, dijudico; sed cum mihi præcipua lateant, altioraque sint, quam ut mei mediocritate ingenii percipere possim, studiove perscrutari, viris doctrina, & ingenio præditis suadeo, ut publicæ utilitatis causa pericula tentare, ipsis cura sit. Et ne modo ignota, & obscura me frustra immorentur, ad notiora, clarioraque progrediar.

§. XXVI.

A sensuum internorum defectu præsagia.

Tanta est animi, corporisque conjunctio, reciprocusque consensus, ut si quando corpus male habeat, spiritus etiam ipse ex illius morbo molestiam sentiat, & experiatur; quocirca & ad morbi magnitudinem cognoscendam, & ad ejus exitum prædicendum spiritus ipse notas, indiciaque interdum præbet: quæ breviter quidem examinanda duxi, ut instituti mei partes impleam.

Omnes mentis facultates, quæ imaginatione, ratione, & memoria perficiuntur, si validæ, integræ, perfectæque sint in ægrotantibus, indicio manifesto sunt, cerebrum, quod sedes præcipua est animæ cogitantis, systematisque nervorum fons, & origo, violentia morbi minime affectum esse; unde spes bonæ valetudinis merito affulget: si vero vitiatæ sint, diminutæ, aut omnino abolitæ, indicio malo esse solent: quoniam facultatum animalium principium, & organum graviter affectum esse manifeste apparet: unde non immerito testatur Medicinæ Parens, in quovis morbo mente valere, & bene se habere ad ea, quæ offeruntur, bonum esse. Sed

rem

rem aliquanto accuratius perscrutemur, quoniam ejus recta cognitio summæ gravitatis est in re; de qua agimus.

Qui delirat, menteque insanit, vel cum febre, vel sine febre delirat: qui sine febre in delirio est, vitæ discrimine minime versatur, sed sæpe brutis, quæ ratione destituuntur, pejor fit; adeo mens vanis, ridiculis, falsisque imaginibus afficitur, & perturbatur. Ex eodem genere ægritudinis sunt affectiones illæ, quas hypochondriacas, atque hystericas dicimus, sed insania aliquanto leviores, sive ista cum risu, sive cum furore, aut metu sit.

Qui causa vehementis febris delirat, si ea remissa ad sensum protinus redeat, recteque sapiat, graviter quidem laborat, id enim non nisi in gravissimi morbi genere fieri consuevit, in quo cerebrum quoque per consensum afficitur, aut ut dici solet, symptomatice patitur: si vero delirium continuum sit, neque ullo tempore febris remittat, multo gravius ægrum afficit; exitiumque prænuntiat; in ipso enim cerebro sedes morbi est, aut ut comunis Medicorum sermone utar, cerebrum idiopatice laborat.

Delirantis autem notæ hæ sunt; si oculorum obtutus ferox, mobilisque sit; si ipsi oculi velut accenso igne refulgeant, aut sanguine undi-

undique conspersi appareant; si æger aliqua violenter agat, vociferetur, vel inconcinna loquatur; si taciturnior præter consuetudinem, aut mœstus sit, aut cachinos sine causa effundat: si ventre cubet, neque ipsi ventris dolor sit; si festucas e lecto colligat, vel muscas captet, vel ex proximo pariete paleas evellat; si e lecto *violenter surgat*, tanquam ad hostes fugandos, *vel* sarcinas deportandas; si dolorem non sentiat, cum causa doloris sit; aut non sitiat in febri vehementi, ore, & lingua ab æstu febrili admodum præsiccatis; si dentes invicem, fortiterque collidat; si partes, quas modestia, & naturalis pudor occultat, inverecunditer nudet; ubi hæ, aut similia indicia occurrunt, ibi certo mens turbata est: jamque proximus exitio æger erit, si turbationi mentis accedant convulsiones, frigidi sudores, sanguinis stillæ e naribus, extremarum partium non recalescentium refrigerationes, crurum vel extentio, vel contractio immodica, animi defectus, viriumque tandem maxima destitutio, sensuumque abolitio.

Signa, quæ delirium præcedere, & præmonstrare solent, cum multa variaque sint, præcipua modo indicare sat erit, ut ex istis, quæ omittemus, percipiantur: vigilia ergo diu, noctuque continuata, cum gravi capitis dolore, & aurium tinni-

tinnitu delirium certo portendit; ipsum quoque portendunt somni inquieti, & multis phantasmatibus agitati, oculi sanguinei, & rubescentes; hypochondria turgida, atque pulsantia; mammæ in feminis rubicundæ, & sanguineæ; lingua convulsa; voces obtremescentes, clangorive similes; urina, in ipso impetu febris, instar aquæ clarissima: dolores nulla de causa, ipsa manente febre, occultati, aut evanescentes; vomitus æruginosi cum capitis dolore, auriumque tinnitu, aut surditate; vociferationes denique, spuitiones frequentes, & præter rationem luctus, suspiria, risus, desideria, aut aversiones: hæ sunt ut plurimum signa pendentis delirii, quæ tum pauca, tum multo magis omnia, aut saltem præcipua si appareant, ipsum certius, & ocius portendunt. Sunt præterea aliqua præsagia, quæ infra dicemus, quia adnotatu digna sunt, & peculiarem narrationem merentur.

Auris acutus dolor cum febri vehementi, sæpe mentem turbat, & fere intra septem dies ægri, si juvenes sunt, pereunt; si senes, tardius; quoniam, ut ait Celsus, neque æque magnas febres experiuntur, neque æque insaniunt.

Qui pulmonis, vel lateris inflammatione laborat, si delirio corripiatur, jam morti proxime acce-

accedit; nam in eo, qui abscessit, manente febre subsidet, neque per sputum ejicitur.

Ubi caput, vel percussum, vel vulneratum est, si delirium oriatur, interitus subsequitur; cerebrum enim, vel ejus membranas graviter læsas esse, certo indicio est.

Si pulsus palpitat in delirantibus, ut piscis palpitat in limo, palpitatio ista terrifica est; signum enim ariditatis, & convulsionis nervorum est.

Si post grave delirium æger mutus evadit, ad exitium præcipitanter tendit; id enim a facultatibus animalibus oppressis, vel emorientibus oritur, ut Hermozigi Uxori, quæ vehementer furens, & muta obiit contigisse Hippocrates tradidit.

Difficultas spirandi in delirantibus, sive ea frequens, & exigua sit; sive magna, & rara; sive sublimis, ubi thorax, & scapulæ elevantur; sive conspicua, cum venter in hauriendo aere, & attollitur, & dimittitur, admodum perniciosa est.

Si delirium blandus somnus excipit, ægrum liberat; si turbulentus, inquietus, & laborem faciens, perimit; quoniam ille vires restituit; iste, jam debiles frangit omnino, penitusque resolvit.

Si post delirium æger lethargo corripiatur, apoplecticus moritur; Natura enim ob grave delirium viribus destituta, ad resolvendos humores substantiæ cerebri inhærentes minime resurgit, sed gravi pondere occumbit.

Tandem, antequam de delirii præsagiis finem faciam, animadversione dignum existimo: primo; quod licet mente valere in acutis bonum signum sit, spemque faciat bonæ valetudinis, non vero semper salutem pollicetur; multos enim sine ulla mentis perturbatione mortem obire videmus; quod in pleuriticis frequens est, & in tabidis, & in iis, qui hydrope pereunt; idem quoque evenire ab ilio morbo, colique dolore peremptis quotidiana experientia docet. Secundo; quod in quacumque mentis perturbatione, si pulsus validi sint, respiratio facilis, & bona tum cibi, tum potus appetentia, somnusque placidus accedat, magnum proximæ salutis fundamentum est. Postremo; quod licet omne delirium malum semper sit, quod non nisi in vehementi morbo fieri solet, nihilominus si ferox non sit, sed mitte, non magnum, sed parvum, non continuum, sed per intervalla accedens, neque cum virium resolutione, neque cum nervorum distractionibus, neque cum aliis malis signis complicatum sit, exitii indicium esse non potest; quia

potius

potius aliquam crisim præcedere solet, & indicare. Aliquando enim ita delirantes, per urinam, sudores, sanguinis profluvium, aut tumores, & abscessus ad inferiores & ignobiliores partes judicari visi sunt: quæ Hippocrates, sapienter ut omnia, animadvertit, in Abderæ Virgine, & cum in Dealcis hortis decumbentis historiam retulit.

§. XXVII.

A sensuum externorum defectu præsagia.

Sensibus corpus natura sepsit, atque munivit, ut eorum ordinato, placidoque usu, vitæ dulcedine frueretur; sed aliquando evenit, ut violentia morbi sensuum usus vel nimis excedat, vel perturbetur, vel omnino deficiat, quod porro, cum sine vitæ discrimine, vix fieri consueverit, in ea Medici opinione sunt, ut a cerebro læso sensus ipsi lædantur, unde optimo meritoque jure Hippocratem asseruisse existimant, ægrum si non videat, non sentiat, neque audiat, prope limina mortis esse. Quæ cum ita sint, a sensuum quoque externorum læsionibus præsagia petamus; & cum quinque ii sint, tactus videlicet, gustus, auditus, & odoratus, de singu-

lis, ut seorsim agam, ordinis ratio postulare videtur. Quibus in exponendis ita sermonem moderabor, ut brevitas perspicuitati non officiat: dicam ergo primo.

A tactu præsagia.

Tactus sensuum omnium latissimus est, cum nulla pars corporis sit, sive in extima cutis superficie, sive in ipsa ossium medulla excogitetur, quæ hoc sensu careat: itaque merito voluptas, dolor, pruritus, anxietas, fames, sitis, & reliqui corporis sensus ad tactum referuntur, qui major, vel minor esse consuevit, gratior aut molestior, prout major vel minor est extraneorum corporum injuria, & major aut minor sit corporis nostri sensibilis natura, & actualis dispositio. Et cum ea, quæ supra diximus, tum de doloribus, tum de nimia sensibilitate, & insensibilitate in ægrotantibus, ad sensum de quo agimus referri merito possint, hic eadem rursus ad examen revocare, supervacaneum censeo, maxime cum nihil inde vel claritatis, vel utilitatis orationi nostræ accedat. Itaque a tactu ad gustum libenter progredior.

De gustu præsagia.

Intra linguam, & palatum universa, & gratissima gustus ratio continetur; iis a morbo vitiatis, maleve affectis, sensus quoque iste afficitur, & depravatur, indeque vel nimius & inordinatus appetitus, vel nausea ciborum, eorumque fastidium facile oritur: hunc sensum ergo contemplare modo oportet, ut ex eo vel abolito, vel vitiato, vel imminuto præsagiendi artem prosequamur.

Optimum signum est in acutis cibi, & potus appetentiam habere, & ad ea, quæ eorum loco offeruntur, libenter, & sine gravi nausea se præstare; quoniam id vires naturæ, præsertimque ipsum stomachum, quod primum facultatum naturalium organum est, a vi morbi minime alterari, aut lædi ostendit: unde corpus cibi & potus subsidiis sustineri facile potest, ut morbi tum violentiæ resistat, tum ipsi superius sit.

Cibum vero, & potum ad nauseam fastidire gravissimi periculi nota est; neque in acuto morbo tantum, sed etiam in longa valetudine id periculi minime alienum est: in ipsisque a gravi morbo recreatis, si cibi grata cupiditas non excitatur, sed fastidium maneat, diuque persistat, recidiva in promptu jam quoque est.

Si cibo, & potu recte oblatis æger non vires recipere, sed imbecillior fieri videatur, scire licet, difficilis judicationis morbo eum laborare.

Validi, vehementesque appetitus insoliti alimenti aliquando a natura sponte excitantur, qui si denegantur, interitum; si concedantur ægrotis, sæpe morbi finem faciunt; ita enim, reddit robur langentibus fibris, vel peccantes humores corrigi, feliciterque expelli solent.

Si cibus boni succi, probatæque qualitatis contrarius ægri stomacho, aut molestus palato sit, tunc etiam mali, sed grati, ipsi offerendus est: ut ita quoquomodò reficiatur, nec fiat, ut imbecillitas hominem exanimet.

Signum certi exitii est, velle mori potius, quam cibos, & potus vel gratissimos, ipsisque ægris in usu, degustare: ut in quadam pestilentia se observassè testatur Galenus; ipseque expertus sum, mœstusque recordor, in Philippo Cestari, viro clarissimo, quem invida parca, ne Angelus ingenio, & moribus diu inter homines ageret, dum primarii Medici munus *Anagniæ* in Urbe maxima cum laude exercebat, juvenem, florentemque ætate corripuit, & extinxit.

Qui saporem cibi, aut potus nuper assumpti, in lingua sentit, aut assumpta ob nimiam copiam

piam regurgitant, aut propter nimiam eorum acrimoniam, & œsophagum, & linguam vellicant; quod utrumque, & grave, & perniciosum ægris corporibus est: hoc enim facile alimenta corrumpi, illud non facile coqui, manifestum signum exhibet.

Signum quoque vitiati succi stomachi, & impendentis morbi certum est, insolitas res pro cibo appetere, ut calcem, terram, cretam, carbonem, multoque iis turpiora, ipsisque vesci, & quamplurimum delectari; quod, & plica polonica ægris, & virginibus chlorosi affectis, & feminis utero plenis non infrequens esse solet; itaque in iis, & digestio, & chylificatio depravantur, sanguisque non bonus conficitur, unde ad cachexiam marasmum, & hydropem, ex hoc depravato appetitu, rebusque assumptis vitæ, & valetudini adversis, facilis est transitus.

Nimia cibi, vel potus aviditas in morbo gravissimo, & ubi alia signa perniciosa illucent, præceps exitium prænunciat; non enim a natura exausta, sed a mente turbata insolita cibi, aut potus cupiditas oritur.

Si nimia cibi appetentia æger laborat, morsuque & dolore ventriculi, dum jejunus est, afficiatur, sed accepto alimento, dolor, morsusque ventriculi protinus cesset, lumbricum latum, qui

qui solium audit, intus nidulari prædicendum est.

Qui nimia voracitate instar canis alimenta accipit, & deglutit, neque ea digerit, neque ipse nutritur, in vomitum, in diarrhœam, levitatemque intestinorum facile incidit, donec consumptus corpore, vel hydrope laborans, tandem desinit.

Sed ne tædio, nauseaque sint tanta de gustu præsagia, de iis finem dicendi faciam, & ab auditu brevius dicere incipiam.

Ab auditu præsagia.

Si auditus lædatur in ægris, gravis morbi indicium erit; læditur autem, vel ubi sensus omnino aboletur; vel ubi bombus, tinnitus, aut rumor instar aquæ ex alto delabentis, in auribus percipiatur.

Aurium bombus, tinnitus, vel insolitus rumor si sine febre sit, prodromus apoplexiæ esse solet; præsertim si capitis gravitas, membrorumque torpor una sit; cum febre vero grave delirium minatur, ni sanguis copiose e naribus fluat.

Surditas, quæ a sordibus intra meatum auditorium congestis causam habet, eo expurgato, facile

cile discutitur: quæ vero a nervorum defectu, & imbecillitate oritur, causamque ducit, vix unquam medicinam sentit: illa vero, quæ in acutis fit, semper perniciosa est; quoniam cerebrum aut læsum esse denotat, aut extinctam penitus esse sentiendi facultatem, præsertim si virium destitutio, aliaque signa perniciosa simul illuceant.

Si vero surditas cum signis bonis, & judicatoriis oriatur, non morbi periculum, sed crisim nuntiat; qualis in Virgine Abdere ab Hippocrate fuit observata, quæ copioso sudore, largaque sanguinis e naribus eruptione evanuit; virgoque sanitati restituta est.

Surditas contra lethalis est, quæ copiosis evacuationibus supervenit; quoniam nocumentum accipitur, unde juvamen suscipi solitum est.

Lethum quoque surditas minatur, si ad virium destitutionem ipsa accedat; siquidem si æger neque audiat, neque sentiat, neque videat propter virium naturalium jacturam, celeri gradu ad interitum tendere, jam monuit Hippocrates.

A visu præsagia.

Cum visus in hominibus sensuum omnium dulcissimus, & gratissimus sit, ipseque sæpe in morbis non levia patiatur, neque despicienda ad

progno-

prognosim multa suppeditet; de eo quoque modo dicendum erat, nisi multa dicturus sim, cum ab oculis præsagia accipiam; itaque ne actum agere videar; ad olfactum protinus descendam.

Ab olfactu præsagia.

Odoratus vel aboletur aliquando, vel exacuitur, vel vitiatur in ægris: qui omnino aboletur, hominem sensus dulcedine privat, sed usum vitæ sæpe producit; quia cum gustum fere tollat, causas mortis, quæ a gula multæ sunt, certo imminuit. Qui vero causa morbi exacuitur malus est, ex rebus enim gratissimis, leviterque odorantibus sternutamenta, pruritus, convulsiones, strangulatus, ipsique animi defectus oriuntur, ut in feminis præsertim hystericis; ipsisque hominibus affectione hypochondriaca laborantibus; frequentius evenire experimur.

Qui depravatur, sive ex defectu corporis, sive animi depravetur; graviora præ reliquis incommoda gignit; ægri enim defectu imaginationis res fœtidas, sordidas, male, graveque olentes ante nares habere sibi imaginantur; & sensum reapse ingrati, molestique odoris percipiunt; unde maxima solicitudine afficiuntur, neque diu id ferre solent sine insaniæ periculo.

Si

Si odoratus depravatur ab aliquo interno vitio, nimirum ab ulcere, a destillationibus, aliisque pravis, sordidisque humoribus ex naribus, ex ore, ex faucibus, ex capite, ex ventriculo, ipsisque pulmonibus exhalantibus, malus est: cum enim vitium intus sit, neque facile curationem accipiat, sensim sine sensu insidias quoque vitæ struit.

Ipsæ vitæ insidiæ crescunt, discrimenque apertius fit, si ægri a malo, fœtidoque odore ita afficiantur, ut sibi oblata, sive potu, sive cibo sint, tamquam putrida, sibique aversa respuant, malintque mori, quam ipsa degustare: ex dicto enim manifestum est summam in visceribus putredinem adesse, ex qua omnia, quæ tum odorantur, tum gustantur, putrida, & cadaverica habentur.

Malum porro indicium est, ut modo ostendimus, si odoratus in ægris depravetur; pejus erit, si ipse Medicus, assidentes, & qui ad ægros invisendi causa adeunt, gravem, pestiferumque odorem percipiant, qui vel ex ore per halitum, vel ex cute per transpirationem, vel ex depositis excrementis longe, lateque diffundatur. Itaque non immerito damnavit Galenus omnia excrementa grave olentia; sed rectius Hippocrates damnasse videtur fœtores, qui a vomitionibus, sudoribus, & sputis emittuntur: quoniam in excrementis etiam bene valen-

tium

tium aliquis odor ingratus semper est, cum solitis naturæ legibus ad corruptionem jam celeri gradu ipsa tendant: secus evenit in iis, quæ per vomitum, sudorem & sputum rejiciuntur; quibus malus odor vix umquam est, nisi magna sit in præcordiis, ipsisque visceribus corruptio, & depravatio humorum.

Si in *hydropicis* vel malus odor in halitu, vel in sputo; vel in toto corpore sit, obitum non procul esse dicendum est; jam enim aquæ, quæ intus sunt, aut per totum corpus diffussæ cavis cellulosis inhærent, corrumpi, & putrefieri incipiunt.

Si æger, præpostera Medicorum curatione, diu multumque sit sine cibo, aut debito potu, os male olet, halitusque ejus mephiticus est; a defectu enim novi laticis corrumpuntur gastrici succi, qui in ventriculum confluunt; ipsaque bilis depravatur, & scandescit.

Tandem si valde fœtidum, fereque cadavericum odorem ægrotantes emittant, proximæ, & sicuræ mortis omen habetur: quod iis memorandis verbis Baglivius posterum memoriæ adnotatum reliquit: in ægris, qui morituri sunt, multis ante mortem diebus solet, dum pulsum tangimus, ab eorum exhalare corpore fœdus quidam, ac veluti cadaverosus odor, qualem spirant in templis cadavera

vera, ut sæpe observavi, & velim; ut serio animadvertant Medici,

Quæ cum de sensibus externis breviter dixerim, orationis ordo jam postulat, ut de somno, & vigiliis dicere incipiam.

§. XXVIII.

A somno præsagia.

Dum sensus tum interni, tum externi a consuetis officiis cessare videntur, homoque tanquam a vita destitutus laxatis artubus quiescit, tum somnus adest, placidissimus ille bonæ valetudinis comes, testisque, & nuntius fidelissimus.

Quomodo somnus fiat, discors adhuc est sententia Medicorum; quid vero in viventibus faciat, non contendimus, cum omnibus notum sit, eum corpus reficere, spiritus recreare, edaces animi curas sopire, naturales secretiones promovere, excretiones perficere, & vires diurnis laboribus fractas restituere, & reparare.

Jam ergo si somnus in morbis acutis naturali, & usitato similis sit, boni ominis semper est; si vero æger noctu vigilet, licet interdiu dormitet, malum; pejus vero esse solet, cum neque noctu, neque interdiu somno indulgeat: id enim non sine

deli-

deliramento, Celsi sententia, fieri consuevit.

Somnus, licet placidus, solitoque fere similis appareat, si vero aut morbi vim & malitiam non infringat, aut ægri vires non reficiat, inutilis omnino reputari, haberique debet; ipseque poterit perniciosus esse, si vires potius infirmet, laboremque faciat; cum nihil æque perniciosum sit in morbis, quam nocumentum accipere, a quibus juvamen, & salus fieri consuevit.

Si æger supinus, oreque hiante dormiat, & ultra solitum profundo somno corripiatur, in gravi periculo vitæ versatur: id enim vel propter magnam virium jacturam, & stuporem, vel propter grande incendium in visceribus fit.

Somnus si adeo arcte hominem complectitur, ut nullis, vel valentioribus artis auxiliis discuti, eliminarique possit, celeriter rapit eum, ut in lethargo acuto, fortique apoplexia frequenter fieri solet; ingentem enim materiæ morbosæ copiam ostendit, quæ sensorium comune, totamque cerebri medularem substantiam, unde nervi oriuntur, obruens, & premens, somnum, quod discuti minime potest, efficere solet.

Somnus cum vigilia conjunctus, ita multis variisque insomnis nonnumquam atque deliramentis intercipitur, ut æger clausis oculis vigilare videatur, modoque stertorem faciat, modo libere respiret,

piret, modo obmutescat, modo vociferetur, & inconcinna loquatur, modo instar trunci projectus jaceat, modo violenter e lecto surgat, mali porro ominis est: cum inordinatum spirituum animalium motum, & totum systema nervosum varie agitatum esse, una cum ingenti fluidorum densitate, & immeabilitate ostendit.

In febribus, quæ intermittunt, & sine vitæ periculo fere semper sunt, si fortasse accessionis tempore profundus somnus oriatur, qui ægrum stupidum, comatosumve faciat, de vita merito timendum est: quoniam febris intermittentis genus, alioquin innocuum, mali moris, perniciosumque fit.

Somnus, qui cum frigore partium extremarum est, periculum vitæ ostendit; cui si pulsus debiles accedant, sudorque frigidus ex fronte, exitiale magis est; id enim non nisi in magno labore, magnaque virium resolutione fit.

Exitialis pariter somnus est, si in eo palpebræ non committantur, sed inter eas ex albo oculorum aliquid appareat; neque id vel alvi fluor, vel medicamentum fecerit, vel dormire æger ita consueverit.

Ebrius, profundo somno correptus, si intra temporis spatium, quo crapulæ solvi solent, a

somno

somno non discutiatur, sopitosque sensus non recuperet, comatosus interit.

Denique somnus, qui doloribus, convulsionibus, copiosisque evacuationibus placide superveniat, ægroque vires restituat, morbique malitiam infringat, bonæ valetudinis spes est; qui vero contraria facit, omnia merito terrore, metuque complet.

Et quoniam somnia indicia, quæ infausta, & prospera sunt attigi, breviterque exposui; modo insomnia, imaginesque eas referam, quibus ægrorum quies adumbratur; præsertim cum non vulgarium Medicorum opinio sit, multa rectaque præsagia ex eorum observatione nasci, deducique posse. Quorum sententia, (quæ quamdam quoque auctoritatem meretur, quia ex eorum diligenti observatione nata est,) si incendia per somnium aliquis videat, flava bilis; si caligines, densasque nubes, atra in ejus corpore abundat: si flumina, & maria, fontes, & lacus per quietem æger imaginatur, molesta corpus pituita affluit. Qui in fœtidis, sordidisque locis se per somnium versari putat, cum putridis humoribus plenus sit, febres, quas putridas dicimus, facile experitur: qui laquearia fulgentia videt, & corruscantia sidera dormiendo conspicit, cum plenæ sanguine venæ turgeant, profluvium sanguinis præ-

res-

sertim e naribus facile experiri solet. Cui aves per somnium occurrunt, & se pernicibus alis undique volitare existimat, spiritus certo puri, & agilissimi sunt, quare ipsi spes bonæ valetudinis esse debet: si vero ex alto æger se præcipitari imaginetur, aut lapide, aut trunco corpus opprimi, aut obscurissimo loco retineri, vel comitialem, vel attonitum morbum experiri solet: qui ludricis imaginibus se inter somnia delectat, ex indicio nihil periculi est, sed vel copia seminis abundat, vel æstu venereo flagrat, vel plenæ, & integræ valetudini jam proxime est: qui aliquid avide bibere, aut edere per quietem sibi fingit, vel potu, vel cibo indiget, ut reficiatur: si dormienti hostes, larvæ, vel horrida monstra occurrunt, quare ingens metus ipsi sit; delirii, & insaniæ timor est. Hæc, aliaque id genus, nocturnis imaginibus, somniique nube involuta prædicere nonnulli docuerunt; nos vero quæ rectius ex vigilia prædicenda didiscimus, jam modo exponamus.

§. XXIX.

A vigilia præsagia.

Cum de somni indiciis dixerim, de iis quoque, quæ in vigilia observantur, videor dixisse, siquidem utrisque multa simillima sunt; nihilominus aliqua de ista seorsim dicenda existimo, ut orationis ordo saltem servetur, qui si non utilitatis, voluptatis aliquid afferre potest.

Licet omnis vigilia mala sit, quia præter consuetum naturæ ordinem est, & præter nimias solidorum crispaturas, tum ductum sanguinis, tum nervorum motum nimis auctum, & perturbatum ostendit, nihilominus non idem semper prodit. Si enim cum signis coctionis fit, salutarem crisim promittit; perniciem vero, si cum malis signis illusceat, præsertimque si ex ea deliria, aut convulsiones subsequantur, malæque evacuationes, & stillæ sanguinis e naribus manant. Vigilia, quæ mala soporifera sequitur, ut coma, lethargum, ipsamque nervorum resolutionem, ubi somnus cum stertore fit, salutaris esse consuevit; lethalis vero, quæ eos diu, multumque præcedit: hæc enim cerebrum labefactatum a crassis, superfluisque humoribus magis obrui; illa, ab ipsis liberari prænunciat.

Si

Si a vigiliis assiduis non soporosus, sed mitis, dulcisque somnus superveniat, bono indicio est: quia vires naturæ, quas nimia vigilia frangit, mitis somnus facile restituere solet.

Quem longa, & diuturna vigilia confecit, si tussis cruciare incipiat, admodum periculosum est; quoniam vasa pulmonum a nimio vigiliæ labore quodammodo contracta, & arefacta, dum impetu tussis, & acris humoris appulsu convelluntur, fortiusque solito oscillant, facile disrumpi possunt.

Tandem, vigilia assidua cum febre licet exitium minetur, non ita vero, quæ sine febre est; multos enim memoria proditum est, insomnes diu vitam produxisse; idque de Mecenate vulgaris fama testatur: sed narratio quoque mirabilior est, depictis chartis per octo dies sine somno ludentis, qui totidem quoque a ludo profunde obdormivit; itaque quod corpori vigiliis detractum, id longa quiete accessit.

§. XXX.

A lingua, faucibus, & dentibus præsagia.

Cum linguæ inspectio, & observatio a Medicis sedulo adhibeatur, ut humores, qui in ægro corpore exuperant, & quos ea in spongiæ mo-

morem atrahit, & retinet, ipsi facilius intelligant; ita nos quoque linguam modo contemplaturi sumus, ut præsagia futuri eventus, quæ ex eadem deduci possunt, observatione, & mente complectamur. Scire ergo licet, quod linguam si alba sit, pituitam; si rubicunda, sanguinem; si flava, bilem; si nigra, atrum humorem morbi causam esse, ex divini senis sententia, indicare; id vero adnotatu dignum est, linguam non raro a statu suo, naturalique colore recedere, aut ex potu, & cibo, aut ex medicamentis, nuper assumptis, aut ex semplici capitis distillatione, aut ex vi, & malitia morbi: itaque ad recte prædicendum ex linguæ contemplatione, causa mutationis in eam prius inquirenda est; sola enim mutatio, quæ causa morbi fit, ad prognosim faciendam aliquid conferre potest.

Lingua ergo sanorum similis, calida nimirum, mollis, humida, rubra, & constans in acutis bono semper indicio est; naturam enim sanguinis a vi morbi minime destructam, aut alteratam esse significat: illud vero clarum tristis eventus signum est, si nimis arida sit, aspera, frigida, dura, livida, nigra, convulsa, tremula, aut multo squalore, cœnosoque tartaro obducta sit; quoniam nimium sanguinis a statu naturali recessum indigitat: itaque si alia signa mala accesserint, de

de ægri exitu infauste præfandum est ; sed hæc tamen diligentiori examini subjiciamus, ut res non parvæ utilitatis, clarius dignoscatur.

Stomachi, naturaliumque viscerum status, & præsens constitutio in lingua tamquam in speculo dipingitur, apertisque notis manifestatur : si enim stomachus crudis, crassis, tenacibusque humoribus plenus sit; lingua statim squalida, & sordida fit, & quodam veluti cœnoso humore obducta conspicitur; itaque ciborum fastidium oritur, & prava assumptorum coctio, atque digestio ; unde malorum fons, & origo fœcundissima habetur.

Si vero lingua sapore amara sit, & quadam veluti crusta flavescente obducatur, biliosis porro humoribus stomachus cumulatissime affluit ; unde nausea, fœtor oris, gravis halitus, vomitus, tormina, alvique fluxus pertimescendi sunt.

Lingua crassa, alba, pallescens, & cœnosa in acutis si non exitium, morbum tamen longum portendit ; a copia enim crassorum, inertiumque humorum vitium oritur, qui si opportunis auxiliis non corrigantur, putrescere quoque facile possunt.

Lingua flava, & sordida in acutis, febres biliosas, & putridas comitari solet, quæ omnes incerti exitus sunt.

Lingua sicca, & arida omnes febres, sed præsertim ardentes subsequitur, quæ si simul nigra fiat, pestifera est; indicat enim sanguinem a nimio febris calore, gravissimæque inflammationis æstu aduri; & quodammodo torrefieri.

Si lingua mole naturali, atque solita major fiat, simulque frigida, nigra, aut livida appareat, lethalis est: quoniam extinctum iri naturalem calorem ostendit.

Si lingua contracta fiat, neque distendi possit, sed veluti radici suæ tenaciter adhæreat, pestifera est; id enim atractis, rigidisque linguæ musculis fit, disseccatis videlicet, fereque consumptis ab ardore febris fluidis; blandisque humoribus, qui nervosas eorum fibras irrigare consueverant.

Cum lingua seipsam retrahit, dum æger respirans aerem attrahit, producitque, dum remittit eumdem; lethale signum esse Pasta animadvertit.

Si lingua arida, & sicca admodum sit in ardentibus febribus, neque æger sitim sentiat, exitiosa esse solet, cum delirium, mentisque perturbationem certe denuntiet: aliquando tamen lingua arida; & sicca apparet, & æger sitim non sentit, quin delirium, aut leviorem mentis perturbationem patiatur; hoc vero non fit in febri arden-

ardenti ; sed in distillatione humoris pituitosi ex capite , quæ fauces irrigando ; licet lingua arida , & sicca maneat ; sitim compescit .

Lingua tremula ; & convulsa ; simulque arida certum phrenitidis signum est ; inde Hippocrates merito dixit ; linguas obtremescentes signum esse non constantis mentis ; si vero obtremiscat , quin arida sit ; non phrenitidem , sed copiam peccantium humorum ; vel pendentem crisim per vomitum innuit .

Lingua si torpida repente fiat ; ita ut homo balbutiri incipiat , apoplexiæ ; aut paralysis prodromus est : illa ubi oritur ; cito hominem tollit ; iste diutius ; sed cum gravissimis vitæ incommodis trahit .

Cum æger anhelans linguam ex ore emittit ; tanquam canis nimio æstatis ardore calefactus ; signum lethale esse Baglivius jure asserit ; quoniam id insolitum symptoma gravissimam pulmonum inflammationem adnuntiat .

Si lingua in angina admodum inflammata , & mole aucta appareat ; a nimio videlicet humore ad fauces , & ad ipsam linguam transmisso , timor non levis est , ne æger suffocatus extemplo pereat .

Lingua quoque præsiccata in angina , ob magnam videlicet inflammationem , lethalis est ;

 qua-

qualem se vidisse testatur Hippocrates in femina ex angina laborante, quæ apud Aristionem agebat, & quarta die perit.

Ulcuscula, quæ in ore interno, sed præsertim in sumitate linguæ apparent, infantibusque frequentissima sunt, incommodum, non vitæ periculum faciunt; si vero nigra, aut livida observentur, exitium portendunt; gangrenosæ enim indolis sunt.

Lingua exsulcerata scissaque non secus ac terra, ait Alpinus, quæ nimis siccata a sole, rimis, & fissuris sæpius scinditur, perniciosa est; indicat enim ardentissimam esse sanguinis inflammationem. Perniciosa quidem, sententia Alpini, hæc nota ex lingua in ægrotantibus est; sed quæ sequitur, sententia Rhasis, longe perniciosior.

Cum in lingua apparuerint pustulæ cicerum magnitudini æquales; fueritque febris vehemens, & acuta, æger principio sequentis diei morietur: ita Rhasis, medicos inter Arabos facile princeps, ad Regem Amans scripsit.

Linguæ intumescentia, cum labiis tumidis, lividis, aut nigricantibus, epoti veneni indicium est: qualem vidit Hippocrates in adolescente, qui a pharmaco corruptionem inferens, perit.

A faucibus præsagia.

Non solum linguam in acutis, fauces etiam, quæ ipsi adeo proximæ sunt, fereque contiguæ, intueri, & diligenter observare oportet, ut rectam prognosim assequamur.

Si enim fauces tumidæ appareant in anginis, bonum est; morbum enim foras verti significat: dummodo tumor non adeo grandis sit, ut viam ad respirandum occludat; aut guttulam potus ad deglutiendum deneget.

Si fauces graviter doleant, spirandi difficultatem faciant, nec ullus tumor in ipsis conspiciatur, maxime exitiosæ sunt; vitium enim intus adest: itaque jure Hippocrates, si a febre detentis, tumore non existente in faucibus, strangulatio repente superveniat, lethale esse pronuntiavit.

Si faucibus inflammatis vultus intumescat, oculi foras promineant, sensus torpescant, & stertor in pectore sit, summum vitæ periculum ostendunt; hæc enim gravissima symptomata ab impedito, vel retardato reditu sanguinis in jugulares externas ortum ducunt.

Si in faucium doloribus pectus, & collum rubeant, bonum esse solet; quoniam humor inflammatorius dum distenditur, ad externasque partes deducitur, internas levius offendit, & nocet.

Vox

Vox clangosa, & sibilans in faucibus male affectis, periculi præsaga est: quia inflammatam esse asperam arteriam præmonstrat; quæ paucis horis; spiritum elidendo, nonnumquam homines e vivis tollit, ut testatur Sydenhamius.

Vox quoque stridula, & acutissima in faucium morbis exitium minatur; a Laringis enim inflammatione oritur; quæ æque ac inflammatio asperæ arteriæ observatione Vanswieten, funestissima est.

Fauces inflammatæ, si in suppurationem abeant, tumorque grandis sit, & ad interiora vergens, timeri debet, ne extemplo rumpatur, ægerque copia puris strangulatus pereat.

Si fauces in febribus acutis, alvique fluxibus sive albis, sive flavis exulcerentur, malum est; pestiferum autem esse solet; si nigra, aut livida, fœtidaque ipsa ulcuscula fiant, gangrenæ enim, & imminentis sphaceli indicio sunt;

Si fauces in tabidis exulcerari incipiant, ita ut vel blandissimos cibos, & potus deglutire vix possint, mortem non procul esse prænunciant: præsertim si alvus, assiduis conatibus quoque fluat; jam enim acris, pestiferaque morbi materies, quæ intima pectoris adurit, & exedit; a faucibus per œsophagum ad intestina, fæcibusque excernendis destinata extendi, & propagari videtur.

A la-

A labiis præsagia.

Quemadmodum de faucibus, ita quoque de labiis, & dentibus aliqua dicamus; quoniam isti quoque linguæ propinqui sunt, & non parum eorum observatio ad prognosim facit.

Labia ergo in acutis si pervertantur, ægro jam debili, mors in propinquo est; summam enim imbecillitatem naturæ ostendit; quæ destituta viribus nullatenus jam potest adversus morbum insurgere, salutaremque pugnam inire.

Si labia modo distorqueantur, modo contrahantur, modo ad statum naturalem redeant, convulsiones; si diu, multumque distorta maneant, aut præeunt, aut comitantur nervorum resolutionem.

Si labia exulcerantur in febribus, cito hæ solvi solent, ut constanti experientia notum, expertumque omnibus est.

Labia livida, pallida, & frigida in acutis pestifera sunt, amissionem enim caloris vitalis prænunciant: quare nihil mirum, si æger brevi moriatur: in Hydrope vero, & asthmate non adeo pestifera sunt; quia cum labiis lividis, pallescentibus, & frigidis ægri isti vitam diutius producunt.

Si labia repente intumescant, lividaque, aut nigra

nigra fiant, de assumpto veneno timendum est.

Si labium inferius tremulum fiat cum nausea, & salivæ fluxu vomitum criticum præmonstrat; ut Hippocrates in Cherione, & aliis se observasse testatus est.

Labia suspensa, sive ita tenuia, & decurtata, ut dentes præsertim superiores conspicui appareant, ægrum morti proximum esse, præsertim si alia signa perniciosa sint, aperte declarant.

A dentibus præsagia.

Dentes quoque, ut dixi, in acutis inspicere; & attente contemplari non inutile est; si enim dentes candidi, & humidi in febribus retinentur, bonum est; si vero sordidi, aridique fiant, malum: pejus vero est si ipsi nigrescant, lividique appareant: id enim malignitatem morbi clare designat.

Si æger dentibus stridet, neque id a pueritia facere consuevit, insania significatur, aut mors: præsertimque in viris, adolescentibus, & senibus, isti enim dentium stridore, vix unquam; pueri vero, & infantuli sanari non raro visi sunt.

Stridor dentium jam deliranti superveniens certi promptique exitii indicium est: cum a convulsis maxillarum musculis, & quodammodo disseca-

to

to vitali nerveum succo, stridor iste oriatur.

Stridor vero dentium, qui accessui febrium intermittentium frequenter supervenit, insons est; accedente enim calore recedit.

Si stridor dentium in somno pueris superveniat, neque ulla signa perniciosa sint, lumbricis eos excruciari prædicito: qui si opportunis remediis non interficiantur, multas molestias gignere solent, ipsosque infantes spasmis, & convulsionibus, ventris intumescentiæ, & atrophiæ pronos faciunt.

Dentium vacillatio, ac nigritudo cum gravi halitu, imo aliquando cum teterrimo odore, labem scorbuticam denotat, quæ periculi plena est, nam si inveterascit, difficulter curatur, & temporis progressu ægrotantes in tabem, in cachexiam, vel in hydropem deducit.

Si dentes sordidos, luridosque videas, imbecillitate stomachi, malaque ciborum coctione, & digestione; si cariosos, & vacillantes, acerbis doloribus, frequentibusque fluxionibus ægrum proclivem esse prædicito.

Sed jam ex aliis corporis partibus, alia quoque vitæ, & mortis præsagia quæramus: fœcunda enim indiciis nostri corporis fabrica ubique est.

§. XXXI.

Ab Hypochondriis, totoque abdomine præsagia.

Humani corporis partes, quæ sub thorace, costisque nothis proxime positæ sunt, Hypochondria Medici, nomine a græca lingua petito, appellare consueverunt; quæ si in acutis sine ullo acri doloris sensu, & caloris sint, si ex utraque parte æqualiter mollia observentur, magnam salutis spem faciunt: quoniam ex indicio patet, partes sub ipsis contentas, quæ functionum naturslium præcipua organa sunt, a vi., & malitia morbi minime læsas, affectasve esse. Si vero Hypochondria dolentia, dura, tumida, intentaque sint, plena timoris sunt; id enim non fit sine violenta vel ventriculi, vel hepatis, vel lienis, vel septi transversi inflammatione, quæ ægrum, aut cito occidere, aut in suppurationem, vel scyrrhum converti solet.

Si tumida hypochondria sint, sed tactui cedant, sine ullo sensu doloris, vel imminentem e naribus sanguinis exruptionem denotant; vel morbum longum, sed sine vitæ periculo futurum esse prænuntiant.

Si hypochondria dura, calida, tumidaque sint, in ipsisque sensus pulsationis, qui percipi

non

non solet, & ab ægro, & a Medico percipiatur, grave delirium, mentisque perturbationem minatur: sed eorum, qui ita affecti sunt, ut monet Hippocrates, oculos quoque inspicere oportet, quorum obtutus ferox, creberque motus, furorem comminatur.

Præcordia tumida, calida, & dolentia ex utraque abdominis parte maximum morbum; ex una tantum, majus ex dextra, quam ex sinistra portendunt; quoniam inflammatio hepatis, qui ad dextram est, multo magis periculosa est inflammatione lienis, qui in læva parte, locatur, tum ob majorem nobilitatem partis, ad usumque vitæ necessitatem, tum propter consensum aliorum viscerum, quibus hepar proxime adnectitur, & incumbit, & cum quibus commercium quoque proximum habet.

Hypocondria tumida, dura, intenta, calida, & dolentia, si intra viginti dies lethum non inferant, neque ab incepto impetu morbus remittat, ad suppurationem tendunt; quæ si intra sexaginta dierum spatium per alvum, aut vesicam non penitus repurgetur, ægrum aut tabe consumit, aut in hydropem lethalem projicit.

Si hypochondriis tumidis, & inflammatis fluxus sanguinis e naribus copiose superveniat, præsertim primo morbi tempore, qui intra septem

ptem dies a morbi accessu continetur, morbum solvit; ut Galenus monet: idem præstare solent, boni, & copiosi sudores, alvique dejectiones biliosæ, ut Vallesius, & Jacotius observarunt; si vero, vel a sanguinis eruptione e naribus, vel a sudoribus, vel a dejectionibus, minime ægri juventur, citius, & certius pereunt: debilitatis enim viribus, natura morbo succumbit.

Post febres intermittentes, & maxime quartanas, quæ diu multumque ægrum vexarint, si hypochondria, dura, distentaque maneant, a tenuiori videlicet sanguinis parte febrili æstu consumpta, crassiorique relicta, tenaciterque inhærente, recidivas præfari oportet: quæ si frequenter revertantur, stagnantes humores vetustate morbi tenaciores facti in scyrrhum abire solent, & icterum, cachexiam, hydropem, & mortem tandem gignere.

Et cum hypochondria observare adeo utile, & necessarium sit ad rectam prognosim statuendam; partes quoque, quæ sub ipsis sunt, & ab umbilico ad pubem latissime patent, attente perspicere non prorsus inutile erit: bonum enim esse, ait Hippocrates, eas crassitudinem habere, planamque ibi cutem esse; at vero eas macrescere, atque attenuari valde noxium esse ipse Hippocrates tanto ante declaravit.

No-

Noxium quoque valde est, si abdomen instar timpani in febribus putridis intumescat; magni enim interni caloris, & putrescentis auræ indicium certum est, cum adhuc vivis corporibus accidat, quod jam diu extinctis, corruptisque cadaveribus proprium est. Solet autem hujusmodi ventris intumescentia, quam meteorismum Medici appellant, aliquando evanescere, penitusque resolvi, aut alvo critice soluta, aut multis, fœtidisque flatibus erumpentibus: quod ex eventu tutum est.

Si in abdomine circa hipogastrium sensus aliquis gravitatis, levisque doloris sit, ipsaque vesica quodammodo inflata, & turgida appareat, paulatimque totium emittere incipiat, crisim per urinam cito fieri prædicendum est

Si ab ileo, & coli dolore venter intumescat, labescentibus viribus, cum frigido vultus sudore, extremitatumque refrigeratione, mors in propinquo est; jam enim inflammata intestina aut gangrænam, aut sphacelum subiisse, certum indicium habemus.

Si abdomem post calidas, ardentesque febres, aut post calidi, generosique potus malum usum ita intumescat, & vehementer distendatur, ut manu perculsus, timpani sonum reddat, rugitusque & murmura intus sint, multum aeris in

ejus amplo cavo, tortuosisque intestinorum anfractibus continet, qui si per flatus non discutiatur, timpaniam, quamdam videlicet hydropisis speciem, non minus periculosam, quam curatu difficillimam facit.

Tumores, qui ad umbilicum apparent, raro, ait Hippocrates, pus fluunt; sed ut plurimum indurantur, scyrrhosique fiunt, unde hydrops, & ulcera insanabilia ad crura facile oriuntur.

Oritur quoque in feminis magna ventris intumescentia, quæ excepta graviditate, scyrrhum in utero detegit; qui licet eas non cito interimat, vix tamen solvitur.

Tandem scire licet, si post acutum morbum, vel diuturnam quartanam, vel magnum lienis aut hepatis vitium, vel aliquam copiosam, longamque sanguinis evacuationem sive ex ore, sive ex alvo, sive ex utero, sive ex oris venarum apertis totum abdomen intumescat, & cum sensu molestiæ, & gravitatis turgidum sit, & dum manu percutitur, sonum intus contenti fluidi præbeat, qualis ab utre non omnino aquæ pleno præberi solet, superflui humoris copiam certo continet, quæ nisi per alvum, aut urinas cito emittatur, per cellulosæ telæ interstitia dispergitur, partimque ad imos pedes delabitur, partim ad ipsum pulmonum, & cordis thalamum trans-

transmittitur, quoad superfluus humor vires naturæ prosternat, ignemque vitalem extinguat.

§. XXXII.

A cutis vitiis præsagia.

Cutis etiam in morbis, ut reliquæ corporis partes, suis incommodis affici solet, sæpe enim in ea maculæ instar pulicum morsuum apparent, sæpe papulæ aliæque pustulæ oriuntur, quas Medici exanthemata appellare consueverunt; non raro quoque ipsa cutis tumoribus, & ulceribus varii generis deturpatur; ex quibus omnibus præsagia quoque vitæ, & mortis desumere usu merito receptum est.

Itaque, si maculæ instar pulicum morsuum, quas Medici pethechias appellant, in febribus acutis aliquando appareant, & paucæ, & rubræ sint, parum periculi secum involvunt; si vero multæ sint, lividæ, aut nigrescentes exitium denuntiant: corrupti enim sanguinis, seu gangrenosi humoris, soboles sunt.

Papulæ quoque in febribus acutis præsertim si ad deorsum ægrotantis oriantur, periculosi morbi indices declarantur, lympha enim acris, quæ in sanguine abundat, replentur; neque corpus

per eas repurgari, aut integrum fieri umquam visum est.

Oriuntur quoque morbilli, atque variolæ, qui inter se morbi non adeo dissimiles sunt, nam æque magna cum febre, iisdemque fere symptomatibus foras emergunt; æque homines semel in vita tantum offendunt; & æquo periculo stadium suum decurrunt.

Si exanthemata variolosa, quæ foras erumpunt, cutemque variant, pauca sint, & sublimia, nullos; si copiosa, & depressa, multos interimunt, aut saltem cum periculo morbum constitunt.

Ipsa exanthemata si rubra, & magna sint, minimeque secum conjuncta, & complicata parum periculi secum involvunt: Si vero colore livida, aut nigra fiant, mole parva, numero tamen multa sint, & sibi mutuo, & racematim complicentur, periculosissima haberi debent; sub iis enim ægri sæpe moriuntur; præsertim si anxietas, animi defectus, alvi profluvia, urina cruenta, aut viridis, deliria, difficilesque respirationes ipsis accedant.

In exanthematibus variolosis, si vox pervertatur, faucesque potum, & cibum vix deglutire possint, gravis periculi certum indicium est; exanthemata enim fauces exulcerando, vocem vitiant, deglutionemque impediunt; itaque ægri

tau-

tanquam ex angina suffocati pereunt.

Respiratio in morbis exanthematicis si facilis sit, & libera, semper bona est; si vero difficilis, mala, imo sæpius perniciosa; cum ipsum pulmonem, ab acri morbi materie graviter affectum, inflammatumque esse certo indicio sit.

Exanthemata quoque, quæ in morbis chronicis ad cutem erumpunt, & velut e latebris caput inopinanter efferunt, criticæ, saluteresque esse solent; sanguis enim noster, post diuturnum ostinatumque morbum aliquando quodam modo effervescere videtur, pustulisque multis exeuntibus despumari, puraque ab impuris secernendo, ea salus extemplo fere obtinetur, quæ præstantissimis remediis adhibitis diu, multumque obstiterat.

Huc quoque referri debent tumores, qui in febribus aliquando erumpunt, modoque salutem, modo perniciem afferunt; ex quibus, qui superioribus partibus oriuntur, periculosi sunt, quoniam nimis proxime nobilioribus partibus inhærent; qui in inferioribus, tutiores habentur.

Si sub auribus tumores fiant, quos a glandulis tumescentibus vulgus parotidas vocat, valetudo sperari debet, si blande suppurentur, febremque, & dolorem, & vigiliam minuant: si vero ab ipsis

morbus exasperetur, primo deliramentum, & convulsiones, deinde interitus timendus est.

Apparent quoque in omnibus corporis partibus, sed præsertim sub axillis, & inguinibus tumores, primum instar picis, aut bituminis splendescentes, & instar accensi carbonis affectam partem urentes, qui omnes periculosi sunt, quia per eos corpus non depuratur, sed morbosior evadit, malignæ enim, & pestilentialis febris comites sunt.

Si carbunculi omnes periculosi sunt, periculosiores illi habentur, qui ad collum, & thoracem, aut sub axillis oriuntur, quia a nobilioribus corporis partibus cum non longe existant, ipsis venenum, virusque pestilentiale communicare facile possunt.

Periculosiores quoque carbunculi sunt, (idem de bubonibus, & parotidibus dicendum putamus) qui apparent, & rursus occultantur, & nulla de causa delitescunt; virus enim, deleteriaque morbi natura intus revertitur, unde sæpe mors ægrum extemplo corripit.

Tumores ad crura, si in morbis pectoris oriantur, isti facile solvuntur; transfertur enim morbus a nobilissima corporis parte, usuique vitæ summe necessaria ad partem minus nobilem, cum qua tamen mirus consensus est, mutuaque officia intercedunt; ut innumeris experimentis demonstratur.

Omnes

Omnes tumores cum febribus, magnisque doloribus orti, qui vero neque in profundis, neque nobilibus partibus erumpant; qui neque nimis magni, neque bifidi, neque lati sint; qui in fastigium facile eleventur; qui cito ematurescant, maturati autem pus laudabile effundant, album videlicet, inodorum, & instar cremoris lactis compactum, salutem, integramque valetudinem cito pollicentur: si vero pus subflavum, lividumve sit, & cadavericum spiret odorem, bona valetudo speranda non est: id enim partis affectæ mortificationem minatur, præsertim si pustulæ ichore acri, fœtido, & subnigro plenæ circa tumoris labia jam conspiciantur.

Tumores ipsi, si non faciunt abscessus, sed duri, & indolentes fiant, sive in internis, sive in externis tantum partibus sint, innocui esse solent; nocere tamen possunt, si mole nimis augeantur; nam partes finitimas comprimendo, inflammationes, aut atrophias facile creant.

Ipsi quoque tumores duri, & indolentes, qui scyrrhosi dicuntur, si pungere, & dolere incipiant, & lividis, turgidisque vasibus tanquam varicibus circumdari, in cancros facile abeunt; qui modo aperti, modo clausi diu persistunt: clausi diu, multumque sine gravi corporis molestia, dummodo recto cum regimine vitam ducatur, ferri pos-

possunt: aperti, citius, dirisque cruciatibus ægros lacessentes e vivis tollunt.

Ulcera tandem, ut de præcipuis cutis vitiis pauca dicam, sive ex apertis, & suppuratis tumoribus; sive ex ictibus, aut vulneribus inflictis; sive ex acri, & corrodente humore intus genito, aut extrinsecus applicato, oriantur modo curatu difficilia, modo penitus insanabilia sunt, modo quoque hominibus brevi vitam eripere solent; quia in gangrænam, & sphacelum degenerant: de quibus multa porro, & non sine laude, cum in Chirurgorum libris scripta inveniantur, de iis dicere libenter prætermittimus: id vero modo notare opportunum nobis videtur, ulcera, scilicet, ex quacumque causa genita sint, sive ante febrim, sive in ipsa febre oriantur, mortem non solum, sed proximam minari, si arida, exsucca, pallida, lividaque fiant; eoque magis, quo a latiori, & profundiori sinu proficiscantur, magisque humida antea fuerint: claris enim, apertisque signis manifestant effœtam esse naturæ vim, omnesque vitæ vires, & facultates penitus extinctas esse.

§. XXXIII.

Ab oculis præsagia.

Cum oculi internarum, externarumque affectionum duces, & indices sint; eos quoque in morbis attente inspicere oportet, & considerare, ut quid ex ipsis sperandum sit, quidve timendum detegatur; oculi enim ut valent, ita & corpus, ait Hippocrates, in deterius, aut in melius labitur. Itaque si oculi in ægrotantibus mutentur; si colorem, splendoremque suum amittant; si a grato, & naturali intuitu recedant, mala, & infausta portendunt. Quo enim magis corpus nostrum læditur, infirmiusque fit, hoc oculi a splendore suo, gratoque intuitu longe recedere solent, & ut flores ardore solis, ita & ipsi violentia, ardoreque morbi marcescunt: itaque merito jureque optimo, ut sapientium virorum consilium est, numquam Medicus ab ægro recedere debet, nisi prius inspexerit oculos, quorum insolita mutatio infaustum prædicet eventum.

In id vero semper diligenter inquirendum est, an istæ in oculis mutationes, a violentia morbi acuti, an vero ab alia causa originem habeant, nam non in hoc, sed tantum in illo casu aliquid

certi

ad prognosim præmonstrare possunt. Perquirendum etiam est, an signa coctionis, vel proximæ crisis simul appareant, in iis enim quoque rerum adjunctis, nihil mali ex oculorum perturbationibus, timendum est: nam istæ, facta crisi, non secus ac nubes post largæ pluviæ decensum, recedunt, & evanescunt.

Itaque statuendum est, quod oculorum rubor, pallor, & livor; calligo, obscuritas, & squalor; protuberantia nimia, subsidentia, & distortio; ferocia, vel mœstitia; palpebrarum contractio nimia, vel nimia expansio, lucis aversatio; lacrimarum descensus involutarius, & sine ulla causa oculos irritante defluentium; aliquid ex albo per somnum apparens, quin crapula, aut alvi fluxus præcesserit; unus oculorum altero major; pituita in iis innatans, & novissime in angulis inhærens; fixatio intuitus, aut ejus nimia mobilitas, & frequens convulsio, aliaque id genus, præter consuetudinem bene valentium, & causa febris orta, si non præceps exitium, gravissimum certe morbi discrimen comminantur; quoniam, hæc omnia & cerebrum, & quæ ei inserviunt organa, & instrumenta maxime læsa ostendunt. Ea autem omnino periisse demonstrabit, ægrumque jam ultimos ad vitæ terminos pervenisse, si resolutis naturæ viri-

bus,

bus, fereque exhaustis, ipse neque audiat, neque sentiat, neque videat.

Præter experientiam, validaque rationum momenta, quæ nos docent, hæc præsagia verissima esse; & præter innumeras antiquorum virorum auctoritates eamdem veritatem firmiter statuentes; sunt quoque fere innumera Hippocratis oracula, ex quibus unum tantum referre satis fore existimo, sive quod in ipso reliqua comprehenduntur, sive quia ne multitudine sententiarum aut prolixior sim, quam res postulat, aut tædio afficiam. Itaque si oculi, ait Hippocrates, lucem effugiunt, aut nolentes illacrymantur, aut pervertuntur, aut alter altero fiat minor, aut candidum rubrum habeant, aut lividas, aut nigras venulas, aut pituita appareat circa obtutum, aut sublimes, tumidi, & cavi admodum fuerint, aut obtutus squalidus, & sine splendore, totiusque simul vultus color evanescat; hæc omnia nedum mala, sed exitiosa censenda sunt. Quibus dignis memoriav erbis cum multa, fereque innumerabilia præsagia de oculis comprehensa sint, jam mihi de ipsis, pro rei nostræ scopo satis dixisse videtur. Si quis vero sit, qui plura desideret, legat Oculum, sive Speculum Hippocraticum, opusculum videlicet, nuper a nobis in lucem editum, ubi multa ab oculis præsagia colliguntur.

A vul-

§. XXXIV.

A vultu ægrotantis præsagia.

Cum de præcipuis corporis partibus egerim, agam modo de vultu ægrotantis, qui & princeps pars externi habitus est, & in morbis præsertim exitialibus, cum plurimum immutetur, claras, distinctasque notas exhibet ad præsagiendum. Itaque Medicus, cum ad ægrum accesserit, statim inquirere debet in faciem ejus, eamque attente circumspicere, & examinare: quam ob rem, ut Celsus monet, neque in tenebris, neque a capite ægri, ut usu receptum est, debet residere, sed illustri loco adversus eum, ut omnes notas ex vultu cubantis facile percipiat; ex ipsisque sententiam suam de sorte ægrotantis rectius pronuntiare possit.

Itaque, facies ægrotantis, si bene valentium similis sit, præsertimque sibi ipsi, optima habenda est; quæ vero aliquid a naturali, solitaque homini sano recedit, mala semper est; pessima autem, quæ plurimum; maxime si talis sit, qualem ab Hippocrate descriptam in suis libris deprehendimus, unde Hippocratica facies dicta fuit, & idem nomen sibi adhuc vendicat, & retinet; ergo in magnis morbis, facies bona, metum periculi

riculi minuit; in levioribus autem, non bona adauget: extremum vero vitæ discrimen, secundum Hippocratem, ostendit: Si oculi in ea concavi sint; nares acutæ; collapsa tempora; frigidæ, languidæque aures, & imis partibus versæ; cutis circa frontem dura, & intenta; color niger, lividus, aut perpallidus: multumque magis periculi est, si ita hæc sunt, ut neque vigilia præcesserit, neque ventris resolutio, neque inedia: ex quibus causis interdum hæc facies oritur, sed uno die finitur. Itaque diutius durans, ait Celsus, mortis index est. Ex iis ergo notis, sive in veteri, sive in recenti morbo appareant, mors intra triduum prædicenda est; cum jam motum sanguinis intercipi, humores corrumpi, & putrefieri, viresque omnes naturæ tum vitales, tum naturales, tum animales extingui, penitusque deficere constans, certumque sit. Quæ cum ita sint, jure meritoque sapientes omnes cum Hippocrate, & Celso in ea opinione sunt, hæc indicia, remota omni spe, ad ultimum vitæ discrimen ægrum jam ventum esse testari: a quo si aliquis liber evaserit, id instar naturæ prodigii haberi debet.

Sunt præterea alia signa, quæ ex vulu ægrotantis desumi possunt, quæ porro licet non mortem, cum morbi tamen naturam, & periculum adnuntiant.

tiant, Medici quoque in eorum cognitionem intendere debent,

Itaque scire oportet, quod vultus pallor in puellis chlorosim, & in viris luem veneream, aut nimiam in utrisque sanguinis profusionem indicare solet: faciei pallida tumescentia cachexiam, & anasarcam detegit: roseus genarum color præsertim a prandio febrem lentam; rubedo maxillarum cum febri, & anehelatione peripneumoniam comitatur: si rubeat tota facies, sed maxime circa nares, & aures hæmoraghiam annuntiat; si rubeat cum oculis prominentibus, vel suffocationem, vel gravem capitis dolorem; si denique rubeat cum intuitu feroci, & inconstanti delirium, vel convulsionem: flavedo vultus, præsertim in albo oculorum, auriginem manifestat; lividoque atrum in corpore humorem regnare clamat: facies mœroris plena cum oculis icteritiis, & calliginosis non solum periculi, sed etiam mortis index est.

Neque sola mala facies, etiam quæ nimis bona repente fit, imminentis mali præsaga est: Nam si quis, ut ait Celsus, coloratior, aut speciosior factus est, suspecta bona sua habere debet; quia cum nec eodem statu consistere, nec ultra progredi possint, retro fere, & quasi ruina quadam revolvuntur: & ratio hujus sententiæ, quam

quam video multis extraneam, miramque videri, ea est, quod propter nimiam plenitudinem, sanguinisve fervorem, metus est, ne in disruptiones vasorum, febres ardentes, inflammationes, & apoplexiam, cum vitæ discrimine extemplo bene valentes incidant.

§. XXXV.

A pulsu præsagia.

Virium corporis index, vitæque, & mortis nuntius veracissimus pulsus merito habetur, quippe qui statum cordis, quod fons vitæ, & sanitatis est, claris indiciis ostendit; de eo igitur modo inquirire & utile, & necessarium arbitror. Sed antea statuendum est, quod hominum vulgus non animadvertit, pulsum, scilicet, varium interdum esse, & propter sexus, & ætatis varietatem; & propter variam ægri consuetudinem, & temperamentum; & propter diversam morbi indolem, & propter variam corporis constitutionem, & propter multiplices animi affectiones, & alia hujus generis: itaque non immerito Celsus dixisse videtur, credimus venis, fallacissimæ rei: cum ipsas & a multis, & a levissimis causis & variari identidem, & moveri videamus. Tari-

Tardiores porro pulsus observantur in viris, quam in feminis; istæque si utero gerunt, aut menstruis proximæ sunt, aut eorum defectu laborant, velociores solito pulsus habent: celerius quoque pulsus emicat in hominibus brevis staturæ, quam in proceris; in pueris, quam in viris; in viris, quam in senibus; in istisque plerumque, sine alio præter ætatem vitio, intermittit. Temperamento phlegmatico præditi pulsum nanciscuntur, qui vix sexagies unius momenti spatio movetur; cum in cholericis pulsationes per idem tempus septuaginta fere numerentur: ad vesperam quoque frequentius pulsus, quam summo mane experitur; crebriorque in corporis motu est, quam quiete; in vigilia, quam somno. In gracilibus, extenuatisque corporibus pulsus facile percipitur, patent enim arteriæ, libereque arietant; cum in obesis, propter nimiam pinguedinem ipsa arteriosa vasa obducentem, obscurus pulsus sit, fereque imperceptibilis: bene valentium pulsus neque nimis validi, neque nimis veloces esse solent, si vero ægrotent, febrique corripiantur, adeo veloces, frequentesque fiunt, ut inter duas solitas pulsationes tertia plerumque intercedat. Quid dicam de hystericis, hypochondriacisque affectionibus? Quid de animi ægritudinibus? In quibus porro adeo varius, & protei

for-

formis pulsus apparet, ut falso aspectu, vel expertissimos Medicos sæpe eludat.

Quæ cum ita sint, manifeste patet, quan utile, & necessarium sit ad recte vaticinandum de ægrorum sorte, eas pulsuum proprietates cognoscere, quæ omnibus corporibus communes, & singulis propriæ, & peculiares sunt. Eas autem, non ex *falsis hypothesibus* deducere, sed propriis periculis, aliorumque sapientium observationibus quærere, & invenire oportet. Sed, antequam de pulsuum indiciis summatim dicere incipiam, annotare, animadvertereque oportet; Hippocratem, qui in facienda Medicina consenuit, sedulusque fuit per centum, & ultra annos naturæ minister, observatorque vigilantissimus, & ex quo merito præsagia hauriuntur, pauca quidem, ne dicam vix ulla præcepta de pulsibus in suis sapientiæ monumentis Medicis reliquisse; multa contra, fereque innumerabilia Galenum: nulla itaque Hippocratis; sed neque omnia Galeni, (multa enim iste de pulsibus excogitasse potius, quam invenisse videtur,) sed ea tantum, que a constanti rerum eventu, fidem apud sapientes viros promerita sunt, ut promissa exequar, documenta proponam.

Motus ille arteriarum, quem in carpo manuum Medici explorare solent, quia ibi arteriæ

N apper-

appertius pulsant; a vulgo simpliciter pulsus dicitur; ille dat ad calculum fere mathematicum, ut dici solet, vim solidorum corporis humani, & mensuram virium, quas cor impendit, ut fluidorum ingentem massam pervolvat, in circuitumque continue agat, donec deficiente motu, vita ipsa deficiat: pulsus cum varie moveatur, varia quoque indicia præbet, quæ nos modo claris distinctisque notis exponemus, quo facilius, cum opus exigat, intelligantur.

Pulsus optimus censetur is, qui medius inter magnum & parvum est, inter celerem, & tardum, inter vehementem & languidum, inter durum, & mollem, inter plenum & vacuum, quique ordinem, æqualitatem, & rithmum, seu quamdam proportionem, quam ajunt, inter pulsationes sibi mutuo succedentes constanter servat, & retinet; quod pulsus iste cum magno semper naturæ robore, cum libero sanguinis circuitu, & spirituum animalium influxu comitari, stiparique solet.

Itaque si pulsus ægrotantis ab hominis sani pulsu parum recedat, bono indicio est; denotat enim naturalem corporis constitutionem a morbo non perverti, minimeque commoveri, quod spem bonæ valetudinis merito alit. Neque interest dicere pulsum in malignis a naturali vix

rece-

recedere, cum æger nihilominus celeri gradu ad interitum tendat; id enim si aliquando accidat, quod non adeo frequens est, sunt vero symptomata adeo palam, atque oculis omnium perniciosa, ut de pulsu nihil Medico quærendum ad prognosim, vel curandum sit.

Si vero pulsus in acutis magnus fiat, & vehemens, durus, & vibrans, ingentes, validasque esse naturæ vires certo demonstrat: sed ingentes quoque adesse solidorum oscillantium, ut ajunt, crispaturas, & fluidorum ad circumactionem validum obicem aperte declarat; quæ si diu, multumque durant, inflammationes in visceribus fieri, vasaque grandiora scindi, atque disrumpi minantur.

Pulsus parvus, exilis, & languidus maximam naturæ imbecillitatem ostendit, quæ ut plurimum maximis vitæ periculis corpus objicit: itaque merito major ex parvo, debili, & languido, quam ex magno, & vehementi pulsu exitii metus est.

Pulsus quoque celer, & frequens mali indicii est, præsertim si simul parvus, & debilis sit; præter enim maximam naturæ imbecillitatem, magnam quoque oppressionem in visceribus, ipsisque præcordiis adesse ex eo existimandum est.

Si pulsus inæqualiter moveatur, ægro præ-

sertim debili, malus est; pejor, si aliquando intermittat; pessimus, si ex toto deficiat, cum proximi interitus individuus iste comes sit; licet etiam aliquando observare datum sit, ægros sine pulsu per unum aut alterum diem vitam protraxisse: id tamen non minus insolens, quam funestissimum esse observatur.

Pulsus tardus, qui spatio duarum pulsationum, vix semel pulsat, non leve discrimen habet; cum spirituum animalium influxum in organa vitæ vel imminui, vel retardari, certo indicio sit: itaque pulsus iste omnes morbos soporiferos, qui semper periculo pleni sunt, vel præcedit, vel comitatur.

Si pulsus ex parvo, magnus fiat in lethargo; & in apoplexia, ægrotantes, ait Baglivius, brevi moriuntur. Totum enim robur naturæ penes cor est, dum cerebrum inerti, & insuperabili crassorum humorum massa laborans, onere tandem subcumbit.

Pulsus quoque parvus, & exiguus licet in acutis valde metuendus sit, non ita vero est, sententia Baglivii, in immiti dolore vel capitis, vel stomachi, vel aliarum partium membranosarum, in quibus non a debilitate, sed a nimia partium crispatura, quam ajunt, exilitas pulsus oritur.

Pulsus in acutis, si temporis spatio, quo morbi

bi declinare solent, durior, & frequentior fiat; morbi vim, & periculum augescere denotat: si vero mollior, remissiorque sit, fauste sperandum est; jam enim sanguinis ductuum rationem relaxari, crisimque in promptu esse denuntiat: ipse pulsus si post crisim, indiciorumque levamen tardior solito quodammodo fiat, jam perfectam, integramque valetudinem ab ægro recuperatam esse, certo indicio est.

Pulsus, si omnino deficiat, sudore frigido undique difluente, frequentibusque animi defectibus subcedentibus, mortem bellicum canere adaucter prædicendum est: natura enim exhausta viribus penitus est.

Pulsus plenus & fortis humorum circumeuntium copiam; vacuus, & debilis inopiam esse testatur; ille egestiones admittit, & quærit; iste sine periculo vitæ, vel levissimas, non sustinet.

Pulsus formicans, qui languidissimus, & creberrimus est, sensumque digitis instar reptantis formicæ præbet, extremi diei nuntius esse solet; præsertim si febribus lentis superveniat, iis videlicet, quæ non vi, sed vetustate vires prosternunt.

Pulsus caprisans, ille videlicet, qui modo quiescere, leniterque moveri, modo insurgere, celeriusque pulsare, ut capræ in saltibus agunt,

dubii exitus est: tum enim inter naturam, & morbum pugnam adesse denotat, æqualibusque viribus utrimque pugnari.

Pulsus, qui ex magno sensim gracilescit, donec fere evanescat, veluti cauda muris, qui eundo sensim deficit, myurus a Medicis appellatur; pulsus iste merito terrere debet, fit enim quando cor, propter imminutas naturæ vires, sanguinem ad extrema usque arteriarum propellere minime potest.

Pulsus tremens, si ex trementibus ad carpum musculis fit, distentionem nervorum minatur; si vero ipsa arteria causa morbi tremula sit, animi destitutionem præsagire, & mortem solet.

Pulsus undosus, ille videlicet, qui instar undarum se mutuo subcedentium, modo insurgere, modo minui videtur, præsertim si mollis sit, criticum sudorem annuntiat.

Pulsus martellinus, ille videlicet, qui bis digitos uno ictu ferire videtur, criticam sanguinis hæmorrhagiam præmonstrat, & quo magis talis pulsatio assidua sit, frequentiusque repetatur, eo magis instat crisis.

Pulsus intermittens cum viribus exhaustis, aliisque pravis symptomatibus, proximi exitii index, & nuntius est: si vero vires ægri validæ sint, atque robustæ alvi solutionem indicat, si au-

tem

tem cum intermissione pulsus durities complicetur, non alvi solutionem tantum, sed eam cum vomitu annuntiat; si vero mollities sit, urina pro alvo solvi solet: ut plurimis in ægris se vidisse, & multorum admiratione sæpius Franciscum Solanum præsagisse nemini Medicorum latet. Sed tanta pulsus peritia, paucis ut ita dicam, quos æquus amavit Jupiter, concessa est; utinam appertis rationibus, minimeque dubiis experimentis, nostra hac ætate ipsa perficeretur, ut scientiæ salutari honore, & gloria, ipsisque infirmis, profectui esset, & utilitate. Neque in re tanti momenti Chinensium assertionibus fides facile habenda est, sunt enim viri gloria cupidi, neque rationibus scientiam, quam maxime profitentur, atque præ digitis, ut ajunt, habere annuntiant, præmostrant,

Plurima sunt alia pulsus discrimina, quæ seorsim, singillatimque hic referre, cum nimis longum esset, neque ad rem nostram apprime necessarium, ea consulto prætereo; si quis vero ea desideret, legat Galenum de pulsibus, qui hanc materiem, & subtiliter, & accurate pertractavit.

Id mihi denuo, in re adeo gravi, admonendum videtur, pulsus cum multiplex, variusque esse possit, ut superius dixi, & propter variam

ætatem, & propter varium ægri temperamentum, & constitutionem, (nam unusquisque hominum suas proprietates habet,) plurimum referre, ut Medicus antequam ex pulsu judicium suum pronunciet, & proferat, pulsum ægro ipsi solitum, fereque proprium satis notum habeat; quod facile consequetur, si æger Medico familiari consuetudine sibi devincto utatur.

Præterea cum a levissima causa, puta *flatu*, motu, cibo, potu, sole, vigilia, nec non a quacumque animi perturbatione, sæpeque ab ipsa Medici præsentia, & si Erasistrato fides habenda est, etiam ab aspectu nonnullorum mutuo inter se amore flagrantium, pulsus non raro concitetur, varieque moveatur, periti Medici, ut Celsus monet, proprium est, non protinus ut venit, apprehendere manu brachium; sed primum residere hilari vultu, percunctarique quemadmodum se habeat: & si quis ejus metus sit, cum probabili sermone lenire; tum deinde ejus carpo manum admovere; neque a lecto recedere debet, quin pulsum ægrotantis rursus tetigerit, & de causa morbi percunctetur: ita porro si minus certum judicium, saltem probabile de sorte ægrotantis pronuntiare, officioque item satisfacere poterit. Sed tempus jam est, ut relictis exter-

externis corporis partibus, de febribus, quæ in internas præcipue agunt, aliqua proferamus.

§. XXXVI.

A febribus præsagia.

Cum pauci, ni fallor, ex hominibus sint, qui aut sine febre ægrotent, aut sine febre suprema die, extremoque fato fungantur, ab ea etiam indicia vitæ, & mortis petere, ut opus nostrum de præsagiis ad umbilicum tandem deducatur, necessarium duco.

Quid febris sit, sapientium judicio; nullus adhuc inter Medicos fuit, qui vel clare intellexerit, vel apposite declaraverit; adeo abdita est ejus natura, adeoque diversæ de ea vulgatæ opiniones, contentionesque habitæ sunt.

Quando autem ea sit, nemo ullus Medicorum est, cui lateat; cum jam vel ipsis tonsoribus notum sit, febrem adesse, cum calor in corpore auctus, & naturali major est, pulsus consueto frequentior, & quædam ad motum lassitudo, ad functionesque vitæ vel faciliores perficiendas molestiæ quoque quædam, & fastidii perceptio.

Febris ergo, sive ea morbus revera sit;

sive comes individuus omnis fere morbi præsertim acuti; sive instrumentum tantum Naturæ, ut pura ab impuris secernendo; morbus penitus devincatur, vix unquam innoxia est: potest tamen magis; vel minus funesta esse pro varia ejus indole; & natura; & pro varietate symptomatum, quibus stipatur: rem; ut par est, diligentiori examine persequamur.

Febris ea; quæ eodem die incipit, & desinit, unde ephimera, sive unius diei dicta est, omnium tutissima habetur; nam a causis levissimis oritur, levissimisque symptomatis stipatur; priusque ipsa desinit, quam cognoscatur; & præter diætam, corporisque quietem vix ulla remedia in eam adhibentur. Quæ vero ad tres dies protrahitur, raroque ad quartum perdurat, cum simplex continua sit, æque tuta est; corpusque potius a superfluis humoribus purgat, quam gravi morbo fatigat.

Quæ alternis diebus redit, aut quovis modo intermittit, ab omni discrimine libera existimatur; quæ vero persistit, diuturnitate nocet: nocet quoque, si non ternis, sed quinis diebus accedat; quæ febris species rara est, sed infernalis merito dicitur, quia ægros tanquam infernali igni consumit, ad exitiumque perducit.

Si febris ultra quartum procedat, & assiduo, vehementerque urgeat, jam plena timoris est; præ-

præter enim magnam humorum copiam, pravam quoque eorumdnm malitiam apperte ostendit; quæ ab aliquo gravi, & peculiari symptomate manifestatur, a quo sæpissime ipsa nomen aucupatur. Itaque vel in hecticam abire potest, si multum, diutiusque producatur; vel in inflammatoriam, nervinam, & putridam, magis vel minus perniciosam, citius, aut tardius lethalem pro varietate, & gravitate symptomatum, quæ in ea insurgere solent, & a Medicis sedulo observantur, ut variis nominibus eam distingant: itaque febris typhodes, sive sudorifera; assodes, sive anxiosa; lyngodes, sive singultosa; phricodes, sive horrifica, aliaque nomina his similia, in monumentis Medicorum passim leguntur, quæ classes, genera, variasque febrium species constituunt. Deo tamen optimo maximo immortales gratiæ agendæ sunt, quod febrium cathalagus licet cura hominum, acerrimoque studio in immensum fere nostris præsertim temporibus increverit, earum tamen natura, & indoles, eo favente, nec ita aucta, ne propagata sit. Sed a diverticulo ad viam.

Plura sunt, variaque symptomata, quæ febres acutas comitantur, quorum alia spem bonæ valetudinis; alia vitæ periculum; alia denique certum exitium, denuntiant: inter ea, quæ spem faciunt, præcipua sunt; si febris quoquomodo remittat;

mittat; si calor non nimis ardens, & sitis non nimis molesta urgeat; si cibum, & potum æger non omnino aversetur; si mente constet; si morbum facile ferat; si leniter, & sine difficultate respiret; si noctu, aut saltem interdiu dormiat; si decubitus naturali similis sit; si facies a sani hominis vultu, non multum recedat; si totum corpus æqualiter molle, & calidum sit; si æqualiter sudet, & a sudore febris quiescat, & symptomata remitius agant; si hypochondria mollia, & indoloria sint, neque ullo modo turgeant; si vero turgida sint, tactui tamen manus sine dolore cedant, nam etsi longum, securum tamen morbum indigitant: si oculi lumen non aversentur; si pulsus post magnum, & validum lenis fieri incipiat; si labia findantur, pustulisque parvulis exulcerentur; si æger inhorrescat, & post horrorem vel copiosus sudor, vel alia crisis sequatur; si post septimum diem, & cum signis coctionis effusio bilis oriatur; si alvus figurata excernat, aut si liquida sit, morbum levet; si urina licet aliquanto parcior, & rubicundior solito sit, cum nubecula tamen, & cum laudabili sedimento appareat; si sanguis e naribus fluat, & capitis dolorem minuat, sitim extinguat, caloremque temperet; si denique ægri vires neque a morbi principio nimis imminuantur; neque progressu

omni-

omnino resolvantur. Hæc certe bonæ futuræ valetudinis indicia sunt: periculum autem vitæ, quæ sequuntur, ostendunt.

Æger porro sub malis auspiciis est, ubi febris tertia quaque die vires, & incrementum capit; ubi æger nimio calore, & siti inextinguibili cruciatur; ubi sitim non sentit, faucibus interim, & lingua febris ardore præsiccatis; ubi effusio bilis ante septimum diem, & sine ullis coctionis signis appareat; ubi æger inhorrescit, quin sudor, aut alia crisis rigorem excipiat; ubi post sudorem æger assiduo horrore afficiatur; ubi continua vigilia æger laborat, vel delirio, vel profundo sopore retinetur; ubi acer dolor ægrum diu, & continenter vexat; ubi vox intercipitur, collum pervertitur, & fauces sine ullo humore deglutire nequeunt, & sensus strangulatus in eis percipitur; ubi supinus jacet æger, porrectis manibus, & pedibus, vel ventre sine dolore cubat, vel anxie per lectum jactetur, ex eoque prosiliat tanquam ad sarcinas colligendas, iter conficiendum, vel hostes profligandos; ubi difficulter respirat, & residere vult in ipso impetu morbi acuti; ubi hypochondria dura, imflammata, tensa, turgida, pulsantia, atque dolentia sunt; ubi oculi lucem refugiunt, & præter arbitrium illacrymantur; ubi dentes strident, & sordidi, &

nigri-

nigri sunt, & admodum sicci; ubi lingua arida, & nigra est, vel admodum rubra, contracta, rigida, tremula, & convulsa; ubi æger nimis celeriter emacrescit, faciesque plurimum a naturali mutatur; ubi totum corpus papulis, maculisque vel nigris, vel lividis defœdatur; ubi color vultus vel nimis pallidus fit, vel præter rationem rubicundior; ubi sudores per universum corpus æquales non sunt; neque a sudoribus copiosis febris desinit, aut saltem remittit; ubi ipsi sudores frigidi sunt, viscidi, copiosi, & nihil levantes; ubi frigida extrema fiunt in impetu morbi acuti; aut exteriora refrigerantur, dum interiora ardore nimio excandescunt; ubi æger quid accepturus, manibus tremit; vel quid dicturus, balbutit, linguaque hæsitat; ubi tendinum subsultus sub carpo est; vel pulsus ita palpitat, ut piscis palpitat in sicco; ubi ipse pulsus languidus, frequens, creber, & intermittens est; ubi os præter consuetudinem male olet, aut ex sudore, urina, excrementis molestus, fætidusque odor late effundatur; ubi singultus incidit, præsertim post alvum solutam, aut sanguinem sine modo effusum; ubi nervorum distensio, oculorum perversio, vel aliquod membrum resolutum est; ubi æger muscas captat, aut ex adjuncto pariete paleas colligit, & evellit;

evellit ; ubi vomitu continue vexatur , isque merus, vel varii coloris sit; ubi sanguis, aut ater humor vel ex ore, vel ex alvo ejicitur; ubi alvus nihil reddat; vel ita fluida sit, ut ægrum debilitet, neque ipsum lecto contineri permittat; ipsa quoque alvus nigrescens, adiposa, & valde fœtida periculi plena est; urina quoque ubi vel cum dolore retinetur; vel præter arbitrium emittitur, periculosa est; ipsa quoque urina si instar aquæ limpidissima sit in impetu ardentis febris; delirium; si nimis rubicunda, ut sanguinem repræsentet; aut vinum ex passis recenter expressum, vitam in summo esse discrimine ob humorum dissolutionem, portendit. Hæc porro indicia in ægris acuta febre laborantibus, grave vitæ periculum cum aliqua spe ostendunt.

Sed hominem sine ulla vitæ spe exitio proximum esse testantur, oculi concavi; nares acutæ, collapsa tempora; frigidæ, languidæque aures & imis partibus conversæ; cutis circa frontem dura, & intenta; color vultus plumbeus, virescens, aut lividus; totius corporis squalor; labra resoluta, nigra, frigida, & livescentia; oculi non commissi, & circa eorum angulum quid glutinosum inhærens, quod prius in ipsis innatabat; hæc proximæ mortis indicia certa

sunt

sunt: jam in extremo vitæ discrimine ægrum versari certius est; si neque sentiat, neque audiat, neque videat; si instar cadaveris ad pedes delabatur; si mentum pectori tenaciter adhæreat; aut guttur emineat capite super pulvinar retrorsum inclinato; si pedes lividi sint, & frigido marmore frigidiores; si ex ore frigidum, aut nullum spiritum emittat; si pulsus aut omnino deficiat, aut languide tantum, formicanter; & per longa intervalla digitos tantum feriat; si respiratio primum in profundo pectoris, deinde in gutture strideat, tandem sileat, orisque diductio incipiat. Sub iis quidem indiciis, cum nulla spes salutis affulgeat, mortalium titulum merito ipsa sibi vindicant, non quia mortem arcessunt; sed quia, dum instat mors, incidunt; quæ ubi illuceant, non jam corporis, sed animi Medicis locus merito debetur, ut si periturae vitæ jam usum diutius trahere non liceat, æternum duraturæ pro viribus consulatur.

CONCLUSIO.

Ex hactenus dictis facile colligere est, quantæ præstantiæ, quantæque utilitatis sit in Medicina ars præsagiendi de exitu, sorteque ægrotantium in morbis, præsertim illis, qui celeriter

ter ægros vel liberant, vel occidunt. Sed jam sentio me a nonnullis ita interpellari; si certa sunt & vitæ, & mortis indicia, quomodo interdum diserti a Medicis convalescunt? Et quomodo extemplo pereunt nonnulli, de quibus Medici securi erant? Quibus cum Celso respondeo, conjecturalem artem esse Medicinam, rationemque conjecturæ talem esse, ut cum sæpius respondeat, interdum tamen fallat: non itaque, quod vix millesimo in corpore aliquem decipit, id fidem, non meretur, cum per innumerabiles homines respondeat.

Præterquamquod, quænam scientia, dum Mathesim exceperis, est, quæ certioribus fulciatur fundamentis? quænam illa est, quæ felicioribus gaudeat eventibus? nulla profecto. Quare minime mirum, si Hippocrates, qui arte, scientiaque præsagiendi de ægrorum eventu adeo excelluit, ut nullus eo superior, pauci ipsi æquales sint, memorandis his verbis ingenue fateatur, in acutis morbis fallaces notas esse salutis, & mortis. Quæ viri sententia, cum multum apud Medicos invaluerit, causa procul dubio haberi debet, cur in tanta voluptate futura prædicendi, tanta laude, tanto honore, gloria, & dignitate, tam pauci sint nostra ætate, priorique fuerint, qui in hoc labore versentur; malintque viri alio-

quin

quin sapientissimi, & in arte medendi magna cum laude, & dignitate versati, oraculi gloria carere, quam contemptui esse, si quæ prædixerint, non eveniant. Quæ sane Medicorum prudentia, ne dicam damnandam timiditatem, salutaris artis progressus non parum retardâsse videtur. Sed tollerabilius hoc; quod sequitur, non ferendum ullo modo; pestis enim est, & opprobrium Medicorum. Non defuerunt superioribus temporibus, neque ad hæc tempora deficiunt, quibus satius est compendia quædam medendi emere, ipsisque tanquam Delphicis vaticiniis, Dodoneisve quercibus religiose inhærendo, per urbes vagare, cætui illustrium Medicorum se inferre, ægros invisere, & per eorum cædes, & luctus, divitias cumulare, quam longis sudoribus, summaque patientia, & indefesa animi contentione in id incumbere, ut omnium primum morbos ipsos internoscant, ac distinguant, cognitisque, opportunis deinde auxiliis, ægris, quoad ejus fieri possit, opitulentur. Inde fit, ut ejusmodi homines temere, vel rebus jam desperatis salutem polliceantur; vel securis, omnia metu, terroreque compleant. Sed cum exitus fallaces sint, promissisque minime respondeant, fit tandem, ut ipsi in ludibrium abeant; totaque præsagiendi ars;

ars, quæ divinos pene honores mereretur, contemnatur, despiciaturque.

Cum ergo hanc, tum imperitorum vecordem audaciam, tum sapientum damnandam timiditatem, apud amicos detestarer; ipsique una mecum de artis vice prædicendi quererentur: occasionem mihi dederunt, ut hanc de præsagiendi ægrorum sorte, morborumque exitu dissertationem scribendam susciperem; eam pro viribus exaravi: faxit Deus, ut meis, amicorumque votis, quod humanitatis bono vehementer opto, fructus respondeat.

FINIS.

1.264

